Pamph.
Gk. lit.
Hist.

QVAESTIONES AD GRAECORVM ORATIONVM FVNEBRIVM FORMAM PERTINENTES

OCT 16 1909
UNIVERSITY OF TORONTO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ELSA GOSSMANN

BARVTHIENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMVIII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

JENA, den 9. Mai 1908.

Geh. Hofrat Professor Dr. **Linck**,
d. Zt. Dekan.

PATRI CARISSIMO SACRVM

ARGVMENTA.

pag.

De rhetorum praeceptis . . . . . 7—12
De origine atque institutione orationis funebris . . . . . 12—24
De poetarum carminibus . . . . . 16—18
Auctores, quorum opera tractantur:
Gorgias . . . . . 24—29
Pericles ac Thucydides . . . . . 29—36
Platon (Archinus et Dion) . . . . . 36—44
Herodotus 43
Euripides . . . . . 44—47
Lysias . . . . . 47—52
Isocrates . . . . . 52—56
Theopompus 56
Lycurgus . . . . . 56—57
Hyperides . . . . . 57—62
Demosthenes . . . . . 62—69
Himerius (orat. polem.) . . . . . 69—74
(monod. in filium) 81
Lucianus 72
Polemon . . . . . 74—75
Dion Chrys. . . . . 75—77
Aristides . . . . . 77—78
Libanius . . . . . 79—80
Themistius . . . . . 80—81
Gregorius Nyss., Gregorius Naz. 82
Choricius . . . . . 82—83
Romanorum laudationes. . . . . 83—85



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestionesadgra00goss

Cum omnes gentes, quae omni vita atque victu excultae atque expolitae sunt, tum Graeci officia in mortuos sanctissima habebant[1]; quae imprimis Athenienses summa praestitisse religione et, ne neglegerentur, curavisse constat[2]. Nec mirum eos, ut essent bellicosissimi et fortissimi, singulari honore cives, qui pro patria pugnaverant et ceciderant, prosecutos esse, et, cum ipsi dicendi studio et amore flagrantes orationem insigne virtutis praemium ducerent, laudationem sollemnibus funeribus publicis militum addidisse. Hoc de genere orationum disserere mihi proposui; sed priusquam de singularum orationum forma, quae earum communis, quae propria sit, agam et demonstrem publicam illam orationem paulatim in singulorum et privatorum laudem, unde ascenderat, relapsam esse, brevissime attingam, quae rhetorum praecepta de eis exstent, quomodo mos laudationis funebris exortus, quando lege sanctus sit. Si quid in tanta materiei ubertate omiserim aut non satis perspexerim, spero fore, ut indulgeatur mihi primum doctrinae et literarum viam ingredienti. Praefatio.

---

1) Cf. Chaillet, de orationibus, quae Athenis in funeribus publicis habebantur. Dissert. Leyden 1891, praefatio; E. Rohde, Psyche II, 249 sq.

2) Id quod — exempli causa pauca affero — laudatur in Isocr. Panegyr. §§ 55 et 58; Panath. 169; Pseudodemosth. epit. § 8; Pseudolys. epit. § 8—10; Euripid. Suppl.; quae tragoedia paene tota hanc Atheniensium virtutem celebrat.

I.

De rhetorum praeceptis.

Etiamsi de oratione funebri componenda posteriorum modo rhetorum praecepta superesse eaque ab orationibus priorum temporum manasse me non fugiat, tamen doctrinam [1]) praeponere usui non dubito, quia de singulis laudationum partibus, si iam notae atque distinctae erunt, melius et clarius disputatura esse mihi videor. Oratio funebris est generis demonstrativi, quod Graece appellatur „*λόγος ἐπιδεικτικός*“. Duo rhetores ei proprium et suum dederunt locum: auctor artis rhetoricae, quae Dionysii Halicarnassei fertur [2]), et Menander rhetor. Ille in capite, quod inscriptum est (art. rhet. c. VI) „*μέθοδος ἐπιταφίων*“, duo separat genera epitaphiorum [3]): publicam orationem in milites, qui vitam pro patria profuderint, alteram privatam in homines, qui in pace fato cesserint; sed pergit (cap. I) „*ὄνομά γε μὴν ἀμφοῖν ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, ἐπιτάφιος οὕτως ὀνομαζόμενος*“ [4]), et brevi post (cap. II) hanc strictam ad utrumque genus pertinentem explicationem dat: „*Συνελόντι μὲν οὖν ὁ ἐπιτάφιος ἔπαινός ἐστι τῶν κατοιχομένων· εἰ δὲ τοῦτο, δῆλόν που, ὡς καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν τόπων ληπτέον, ἀφ᾽ ὧν περ καὶ τὰ ἐγκώμια· πατρίδος, γένους, φύσεως, ἀγωγῆς, πράξεως*“.

De Dionysii arte rhet.

In oratione publica una et simul auctor duo genera pertractat, sed perspicuitatis gratia separatim ea percurram; rhetor dicit copiosius efferri debere patriam et hac in parte maxime originem, claritatem, quidquid illustre sit; maiores deinde praedicandos esse sive indigenae (*αὐτόχθονες*, quod

1) Cf. F. Schinnerer, de epitaphiis Graecorum veterum. Dissert. Erlangen 1886, § 3 et 4; X. Hürth, de Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus. Strassburg 1907 (Dissert. Philol. Argentorat. Select. Vol. XII, Fasc. 1) cap. I.

2) Usener, Dion. Halic. quae fertur ars rhetorica 1895.

3) Dion. Halic. opuscula edd. Usener-Radermacher v. II p. 277 sq.

4) Orationis publicae illustrissimos auctores enumerat Thucydidem, Platonem, Lysiam, Hyperidem, Demosthenem, Naucratem; solutae orationis privatae exempla non affert, sed ad poetas refugit: „*τὰ ποιήματα μεστὰ τούτων, οἱ ἐπικήδειοι οὕτως ὀνομαζόμενοι θρῆνοί τε*“, ... ex quo Pseudodionysium Isocratis Euagoram laudationibus funebribus non inseruisse manifestum est.

verbum per se ipsum laudi est), sive advenae fuerint; tum rei publicae leges (cap. III.) exornandas esse et res bello optime gestas. Laudi applicandam esse adhortationem, i. e. *λόγον προτρεπτικόν*; superstites admoneri necesse esse, ut imitentur mortuos; unde transire orationem in solatii partem oportere, quae Graece vocatur *λόγος παραμυθητικός*, et consolari patres spe aliorum filiorum [1]) aut — nam in oratione publica, cum omnes iuvenes sint, nullum ex aetate repeti posse solamen, — gloria et honoribus, quos mortui assecuti sint; et liberos eos esse malis et morbo. At oratori cavendum esse, ne lamentetur: nam querendo et miserando augeri luctum. Paululum modo dolori concedendum esse recondita quadam laude hac fere sententia: „*ὅτι οὐ ῥᾴδιον ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ῥᾴον φέρειν*“. Perorationem rebus accommodatam esse in utroque genere debere.

Privatae quoque orationis praecepta inspiciamus; in priore parte rhetor dicit: „*οὐ πάνυ τι ἀναγκαῖος ὁ πολὺς περὶ τῆς πατρίδος λόγος*“; deinde laudanda commendat defuncti genus, maiores, patrem, virtutes et mores in re publica, in vita civili, in rebus gerendis, erga amicos, contra adversarios. Exhortationem in oratione privata modo adhibendam esse, si mortuus nobilis familiae fuerit et munere functus sit. Ut in priore genere, in hoc quoque parcendum esse lamentationi; uberiorem esse consolandi materiem: quomodo, ubi, quibus negotiis mandatus, qua aetate — et de hac multa dicere oratori licere: iuvenem mori, quem di diligant, desiderari virum florentem robore, senem omni vita fruitum esse — is, qui lugeatur diem supremum obierit, denique omnia interpretanda esse in solatii partem exemplis comparationis causa ex antiquitate et e poetis allatis; consolationis finis, ut peroratio, ad utrumque genus mihi videtur spectare [2]).

1) Haec sententia certe a Thucyd. orat. fun. II, 44, 3 profecta est.

2) Ad animae immortalitatem haec verba pertinere videntur: „*ἐπὶ τέλει δὲ περὶ ψυχῆς ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ὅτι ἀθάνατος, καὶ ὅτι τοὺς τοιούτους ἐν θεοῖς ὄντας ἄμεινον εἰκὸς ἀπολαβεῖν*“; sed assentior viro doctissimo E. Rohde, qui (Psyche II p. 389) talem sententiam illo tempore ornamentum rhetoricum fuisse censet. Cf. A. Dieterich, Nekyia p. 89.

E Pseudodionysii praeceptis haec ergo capita colligere possumus: I. laudes[1]), II. adhortatio, III. consolatio, IV. peroratio; laudes autem dividuntur in laudem patriae, generis, indolis, morum, rerum gestarum, singulis partibus pro re variatis.

De Menandri praeceptis.

Huic dispositioni comparemus eam, quam Menander rhetor proponit: hic quidem magis priore auctore duo genera permiscet, quamquam definitione tendit ad orationem publicam; haec enim est[2]) „*λέγεται μὲν παρ' Ἀθηναίοις ἐπιτάφιος ὁ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τοῖς πεπτωκόσιν ἐν τοῖς πολέμοις λεγόμενος λόγος (εἴληφε δὲ τὴν προσηγορίαν οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ἢ ἀπὸ τοῦ λέγεσθαι ἐπ' αὐτῷ τῷ σήματι .....; ἐκινήκησε δὲ διὰ τὸ χρόνον πολὺν παρεληλυθέναι ἐγκώμιον γενέσθαι*“; cuius rei testimonio affert Isocratis Euagoram. Munere orationis quotannis dicendae — de hac re postea plura — functum esse magistratum, quem Athenienses vocabant „*πολέμαρχον*“, Menander nos docet; ordinem partium temporibus aptum assignat: septem aut octo menses post mortem (iam in privatae orationis praecepta incidit) priore in loco laus, in posteriore consolatio ponatur; si autem orator mortui familiarissimus fuerit, post unum demum annum[3]) adiciat consolationem dolore prius nimis vigente. Quae praecepta priorum similia sunt, repetere nolo, volo adumbrare dissona: Pseudodionysius suadet, ut parcendum sit lacrimis[4]); at Menander praecipit, ut iis quasi perfundatur tota oratio; *θρηνεῖν* debere oratorem in omni capite. In laude publica adiungit viros fortissimos cum heroibus et diis comparandos esse; in privata oratione, ut a parvulo defuncti vita narretur et praedicetur, mandat; virtutes et corporis et animi diligentissime perlustrandas atque exornandas esse; ut haec, ita consolandi ratio magis magisque ad privatam laudationem delabitur: oratorem debere uxorem mortui[5]) hortari, ut

1) Prooemium praeire rhetor consentaneum esse ratus eius mentionem non facit.

2) Spengel, Rhet. Graec. III p. 418 sqq.

3) Recenti parentum et liberorum luctui nostris quoque temporibus spatium unius anni more et usu conceditur.

4) V. p. 9 h. l.

5) Pseudodionys. eam non nominat.

feminarum antiquitatis reminiscatur, liberos, ut aemulentur patris virtutes; hoc modo admonitio consolationi arte coniuncta est nec propriam partem tenet. In peroratione oratori familiam defuncti praedicandam esse, quod funera sollemnia procuraverit; itemque ei orandum esse, ut dei superstitibus bona omnia praebeant; hic finis rhetorem in animo habere sophistam, qui iussu cognatorum praemio proposito orationes privatas conficiat, maxime prodit. Hunc igitur ordinem e Menandri praeceptis enucleo: I. Laudes, quae sunt laudes gentis, originis, indolis (et corporis et animi), rerum gestarum, fortunae, II. lamentatio, quae omni orationi inesse debet, III. consolatio atque adhortatio, IV. peroratio.

Genera illa laudationi funebri propinqua — ἡ μονῳδία [1]) et ὁ παραμυθητικὸς λόγος [2]) appellantur — quamquam tractavit Menander, hic percurrere longum est, praesertim cum de iis viri docti iam diligentissime disseruerint. Supervacaneum quoque esse arbitror de laudum praeceptis plura verba facere; nam orationem funebrem paulatim meram laudem factam esse cum Menander [3]) tum scholiasta Aristidis [4]) et Suidas [5]) testantur.

Hac de causa in laudum loco eam Theon [6]), Hermogenes [7]) commemorant laudumque praecepta valent dispositione et collocatione pro re mutata et variata; de his atque Aristotelis, Anaximenis aliorumque libris iam fuse atque copiose

1) Spengel, Rhet. Graeci III p. 435; monodia est lamentatio; sed non solum de homine mortuo, sed etiam de calamitate urbis; cf. Westermann, quaestiones Demosthenicae II p. 45 (not. 25) et Caffiaux, de l'oraison funèbre dans la Grèce paienne; Valenciennes 1861, p. 211sqq., qui suum caput dedit monodiae.

2) Spengel l. c. III p. 413; C. Buresch, Consolationum a Graecis Romanisque scriptarum historia critica; Leipziger Studien IX, 1886. Cf. etiam J. Bauer, Die Trostreden des Gregorius v. Nyssa in ihrem Verhältnis zur antiken Rhetorik (dissert. Marburg 1892) p. 21 sqq.

3) V. p. 10 h. l.

4) Schol. Arist. Panath. ed. Dindorf vol. III p. 6, 27 sq.

5) Suidas: (v. ἐπιτάφιον) „αὕτη ἡ πληγὴ καὶ τῆς ἀρετῆς αὐτῷ ἐπιτάφιον ἦν ἐγκώμιον".

6) Spengel l. c. II p. 109.

7) Spengel l. c. II p. 11.

scripsit X. Hürth [1]). Haec est sententiarum summa de oratione funebri: laudes praecedunt; has sequuntur adhortatio, consolatio, peroratio [2]); interdum lamentatio interponitur; laudatio summatim complectitur patriam, maiores, genus, res gestas, virtutes (et corporis et animi in privatis orationibus). Haec capita pro suo quisque orator ingenio vel diminuit vel amplificat atque ornat. Quibus terminis orationis componendae constitutis progrediamur ad huius generis dicendi originem et primordia inquirenda et investiganda.

De origine et primordiis orationis funebris.

Hac in parte, quantum ad intellegendas orationes solutas opus est, poetarum opera attingam; sed attingere dico, ne longior fiat pars poetis attributa quam oratoribus, quos praecipue tractatura sum.

De lamentatione.

Propinquos et amicos interitum hominis familiaris dolere ac deflere [3]) tam naturale et humanum est, ut talem lamentationis fontem non ex Asia repetendum esse putem; formam quidem lamentorum in certos rythmos redactam a certisque personis cantatam ad orientem redire arbitror eoque spectare poetas, qui lamentationem significent Asiaticam, ut Aeschylus (Choephor. v. 411), Euripides (Orest. v. 1402 et Iphig. Taur. v. 180) [4]); Asiaticus ille mos certissime esse mihi videtur, ut mulieres quodam ordine et choro mortuum deplorent [5]).

1) L. c. p. 3—32.

2) Ordinem quendam res ipsa fert; itaque eundem fere invenimus — qui quidem ab antiquis sumptus est — in libello, quem Io. Aug. Ernesti inscripsit: „Initia rhetorica“ (Lipsiae 1750), cuius verba (p. 129) „sed maxime in hoc genere dominantur laudes“ antiquorum orationibus apta sunt. H. Richter similia praescribit additque (Lehrbuch der Rhetorik für obere Klassen d. Gelehrt. Schulen, Leipzig 1853, p. 65): „orationes funebres quam brevissimae sunto!“ quamquam id antiqui rhetores non apposuerunt.

3) Nam hominis mortem familiares gaudere et lugere diem natalem, quamquam fiebat, tamen rarum erat. Cf. Herodot 5, 4; Strabo 11 p. 520; Rohde l. c. II p. 34 annot. 1; p. 36.

4) Cf. Musgravii annotat. et quod Bruhn in editione Iph. Taur. dicit; si censet „Die Totenklage ist von Haus aus asiatisch, nicht hellenisch“, id mea sententia modo valet in certam formam lamentationis.

5) Cf. Budde, Gesch. der althebräischen Literatur, p. 21 sq., ubi apud Hebraeos antiquos ploratum de mortuis editum mulierum non virorum artem et munus fuisse refert.

Hoc sensu verbum θρῆνος Suidae in memoria est dicenti (v. θρῆνος) „βαρβαρικόν ἐστι τὸ θρηνεῖν· ἐπὶ Πατρόκλῳ γοῦν οὐ γίνεται.“ At Achillem Patroclum gementem fingit Homerus (Ψ 9):

Πάτροκλον κλαίωμεν· ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων,

et paulo post (12):

ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ὤμωξαν ἀολλέες, ἦρχε δ' Ἀχιλλεύς.

Comites ergo respondent Achillis lamentis, non mulieres, id quod Suidas denotare videtur; nam in Hectoris funere (Ω 720 sqq.) mulierum sollemnis lamentatio est praecentore[1]) incipiente: tum Andromache maritum deflet, Hecuba filium, Helena mariti fratrem quasi monodiae modo, ut hos versus monodiae principia quam laudationis dicere maluerim; feminarum chorus concinit (*ὣς ἔφατο κλαίουσ'*, *ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες*); lamentatio ergo secundum affinitatis gradum descendit. Verumtamen hoc non obliviscendum est Patroclum in castris, Hectorem domi ultimo honore affectum esse. His propositis morem non ipsius lamentationis sed lamentationis certo ordine et a certis personis — a praecentore mulieribusque — pronuntiatae iam mature ex oriente in Graeciam invasisse intellegi potest. Cui rei documento est Solonem teste Plutarcho[2]) immoderatam tumidamque lamentationem et planctum mulierum lege vetuisse; ac recte Rohde[3]) iudicare mihi videtur illud „*τὸ θρηνεῖν πεποιημένα*“ lamenta praeparata et composita, non planctum ex tempore et quasi naturaliter exortum significare. Antiquis igitur temporibus adfuit primum posterioris orationis elementum: lamentatio in formam quandam redacta.

Ante quam alterum inspiciamus fundamentum, laudem dico inter cenam funebrem, quam Graeci vocabant „*περί-*

1) Hunc morem lamentandi posteriore tempore vigere et florere non destitisse Lucianus nos certiores fecit, qui in illo „*περὶ πένθους*“ libello (c. 20) induxit „*θρηνῶν σοφιστήν*“ insolentiamque mulierum commemorat.

2) Plut. Solon 21.

3) L. c. I, 221 annot. 3.

De ultima salutatione.

δειπνον", non neglegenda est ultima ad mortuum directa salutatio: Achilles ter advocat amico (Ψ 19 et 179):

χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν Ἀίδαο δόμοισι.

Atque aliis ex locis [1]) ter dicere salutem defunctis et praecipue iis, qui procul a domo interissent, sanctum officium ductum esse scimus; ex qua brevi voce paulatim longiorem allocutionem et ipsam orationem in funere habitam adolevisse existimo; in hanc recepta est laus in cena dicta; epuli post funera facti iam Homerus [2]) mentionem habet, etiamsi apud eum epulae quasi publice populo a principe datae sint nec quicquam de laude dictum sit; sed ubi publica, certe privata quoque epula [3]) in usu erant. Epulas sollemnes post publicam pompam militum honorandorum causa factam designat Demosthenes (de cor. § 288), unus huius moris testis. In illis privatis laudibus efferri solebant mortui [4]), id quod testatur Cicero (de legg. II, 25): „sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati: apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, praedicatum; nam mentiri nefas habebatur." Neque tamen defuncti gratia severe veritatis legem observatam esse affirmat et Zenobius (5,28): „*εἰώθεσαν οἱ παλαιοὶ ἐν τοῖς περι-*

De laude in cena dicta.

1) Pindar. Pyth. 4, 284; Theocr. Idyll. 13, 58. Cf. Hermann, Griech. Privataltert. p. 321/22; salutatio repetitur in Eurip. Alcest. v. 620 sqq.; cf. Rohde II, 345 annot. 2.

2) Ψ 29 (*τάφον δαινύναι*); Ω 802; γ 309.

3) Morem cenae funebris Ariam esse contendit A. Bauer (Griech. Privat- und Kriegsaltertümer, Hdb. f. kl. A. W. 4, I, 2 p. 213); cf. Rohde I p. 25 et I p. 2, p. 31; exempli causa priscos Borussos affert; nostra quoque aetate mos ruri floret.

4) v. Kock, frgm. comic. att. II p. 135/36 (ex Anaxandridis comoedia):

τίνα δὴ παρεσκευασμένοι
πίνειν τρόπον νῦν ἐστε; λέγετε. τίνα τρόπον;
Β. ἡμεῖς τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ.
Α. βούλεσθε δῆτα τὸν ἐπιδέξι'; Β. ὦ πάτερ.
λέγειν ἐπὶ τῷ πίνοντι τὸν ἐπιδέξια
λέγειν, Ἄπολλον, ὡσπερεὶ τεθνηκότι;

ex his verbis (etiamsi non satis clarus locus est) certum ordinem eorum, qui laudem dicerent, fuisse concludas; cf. Plat. Symp. p. 177 D: „*δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι ἕκαστον ἡμῶν λόγον εἰπεῖν ἔπαινον Ἔρωτος ἐπὶ δεξιὰ ὡς ἂν δύνηται κάλλιστον.*

δείπνοις τὸν τετελευτηκότα ἐπαινεῖν, καὶ εἰ φαῦλος ἦν“ et proverbium illud (ibid.): „*οὐκ ἂν ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ*“[1]). Solonis lex[2]) fortasse, qua de mortuis nil nisi bene dicere iubebatur, causa fuit, cur nimis laudati sint defuncti. Quanti autem momenti laudes in illis epulis fuerint, eo apparet, quod libelli vitam ac laudem singulorum continentes superscripti sunt verbo „*περίδειπνον*“; Diogenes Laert. enim (III, 2) Speusippum de Platonis natu narravisse „*ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περιδείπνῳ*“ testatur et de Timone scribit haec (IX, 115): „*ὅμως δὲ καθαπτόμενος Ἀρκεσιλάου ἐν τοῖς σίλλοις ἐπῄνεκεν αὐτὸν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάου περιδείπνῳ*“.

In hac igitur epularum praedicatione origo laudationis funebris in singulos compositae est quaerenda; quam quidem apud Graecos ante publicum in universitatem mortuorum epitaphium in sollemni funere floruisse an concedam, dubito; A. Dieterich[3]) enim versus 1547 sq. Aeschyli Agamemnonis:

τίς δ' ἐπιτύμβιον αἶνον ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ
σὺν δάκρυσι ἰάπτων
ἀλαθείᾳ φρενῶν πονήσει;

denotare pridem apud Graecos hominis familiaris fuisse in mortuum laudationem funebrem habere contendit. At eis, quae Wecklein dicit, refellitur haec opinio; is enim praebet lectionem: „*τίς δ' ἐπιτυμβίδιος λίν' ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ*“ κ.τ.λ. et significatione orationis funebris et verbo „*ἰάπτειν*“ offensus; quod quidem verbum nihil offensionis habet: hac in coniunctione certe haud ita usitatum est; sed Aeschylum saepius raris coniunctionibus et verbis[5]) uti constat; maioris momenti

1) Cf. Hermann, Griech. Privataltert. p. 322 not. 33.
2) Demosth. 20, 104; 40, 49; Plut. Sol. 21.
3) A. Dieterich, Nekyia p. 88 annot. 2.
4) Aeschylus Orestie ed. Wecklein, I. Teil (Leipzig 1888).
5) Verbum „*αἶνος*“ invenitur etiam in Aeschyl. Suppl. 1024; Eusthatius quidem (1374, 27) „*αἶνον*“ simpliciter pro quolibet dicto capi — ut verbum in *θρῆνον* vertere et interpretari liceat — dicit; at cum exemplum nullum afferat, eius sententia non advocari potest in testimonii locum, nec aliter interpretanda vox atque laus (oratio).

est, quod Wecklein orationes funebres in singulos dictas illo tempore exstitisse negat, ad quam opinionem confirmandam adduci potest Dionysius Halic., qui refert (Ant. Rom. 5, 17): „*ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαῖον εὕρημα τὸ παρὰ τὰς ταφὰς τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπαίνους τῆς ἀρετῆς αὐτῶν λέγεσθαι, καὶ οὐχ Ἕλληνες αὐτὸ κατεστήσαντο πρῶτοι, παρὰ τῆς κοινῆς ἱστορίας οἶδα μαθὼν . . .*“ et Athenienses in eos tantum, qui bello cecidissent, laudationes habendas curasse (easque sero lege sanxisse) exponit; at quid quod Cicero in libris de legibus, quos scripsit, de sepulturae caeremoniis aliquanto post Solonis leges adhibitis tradidit (II, 26): „nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat“? Nonne hac lege aliae nisi publicae vetitae sunt laudationes? Quae autem vetabantur eas omnino exstitisse necesse est. Itaque Aeschyli versibus respectis collatoque Ciceronis loco non possum non credere sollemnes publicos epitaphios posteriores fuisse, praeisse privatas ad sepulcrum laudationes ex ultima salutatione et lamentatione natas dictasque a cognatis aut amicis, praesertim cum lamentatio et luctus cari hominis amissi facile cum laude ipsa confundatur; amissione vero, quanti aestimaverimus hominem, clare cognoscimus eiusque virtutes in memoriam revocamus. Hae laudationes cum uberiores et maiores fierent, quam quas in libera re publica paterentur cives in singulos compositas, lege sublatae et postea alio modo renatae et renovatae sunt in laude omnium mortuorum; huic iudicio Dionysii verba non obstant, quae ipsa publicam in singulos laudationem spectant. Sic et *θρῆνος* et *ἐγκώμιον* confluit in orationem privatam, e qua vetita excrevit epitaphius publicus.

De poetarum carminibus.

Apud poetas, quorum quidem opera et fragmenta exstent, duo ergo haec genera exculta animadvertimus, lamentationes sive *θρήνους* [1]) et laudes sive *ἐγκώμια* [2]), quibus „*ὕμνοι*“ [3])

1) Elegia quoque initio carmen lugubre fuit; cuius rei testimonii causa Procli verba apponere mihi liceat; is enim (script. metr. ed. Westphal I p. 242): „*τὴν δὲ ἐλεγείαν*“, inquit, „*συγκεῖσθαι μὲν ἐξ ἡρῴου καὶ πενταμέτρου στίχου· ἁρμόζειν δὲ τοῖς κατοιχομένοις· ὅθεν*

adnumerandi sunt. Primum epitaphii poetici exemplum traditum est Simonidis *ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἐν Θερμοπύλαις θανόντας*[4]), quo beati mortui praedicantur ob gloriam, quam assecuti sint: *„εὐκλεὴς μὲν ἃ τύχα, καλὸς δ' ὁ πότμος, — βωμὸς δ' ὁ τάφος,* V. 2—3. *πρὸ γόων δὲ μνᾶστις, ὁ δ' οἶκτος ἔπαινος“ κ. τ. λ.*, quas sententias posteriores orationes resonant. Et Simonidem et Bacchylidem et Pindarum threnorum — liceat mihi hoc uti verbo — poetas fuisse constat eosque — Pindarum modo nomino — facta maiorum in hymnis quoque[5]) collaudasse. Sed longum est omnes afferre praenuntios ipsius orationis, i. e. omnia poetarum opera examinare[6]); orationum primordia exstitisse in poetarum carminibus iam intellegi potest; ea modo, quae ipso nomine *„ἐπιτάφιος“* inscribuntur, brevissime adumbrabo, quae cum lamentationes meras esse censeam, iure orationibus praepono.

De Bionis epitaphio Adonidis.

Bionis Smyrnaei nobis conservatus est *„ἐπιτάφιος Ἀδώνιδος“*. Poeta hoc carmine mortuum Adonidem magis conqueritur quam laudat luctumque Veneris eiusque comitum

---

καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε· τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοί· καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν“. Verbi originem, quam docti hodie quaerunt ab exclamatione „ἔ λέγε“, antiqui repetebant ab *„ἐλεεῖν“* aut *„εὖ λέγειν τοὺς τεθνεῶτας“*; cf. Christ, Metr. p. 210, Griech. Lit.Gesch. (4. Aufl.) p. 127 sqq. Crusius (in Pauly-Wissowa R. E. 1905, V. p. 2261 sqq.), qui illis interpretibus morem cenae funebris, inter quam deplorari et praedicari mortui solerent, in animo fuisse recte existimat.

2) Cf. Norden, Antike Kunstprosa, p. 78; W. Schmid, Zur Geschichte des griech. Dithyrambus (Tübinger Univers. Schriften 1900/01, p. 16 sq.); Christ, Griech. Literaturgesch. p. 151.

3) Cf. *Θέωνος προγυμνάσματα* (Spengel, Rhet. Graec. II p. 109).

4) Bergk frg. 4; cf. Norden l. c. p. 78 not. 1, qui hoc carmen Gorgiae ante oculos fuisse dicit; de quo postea agendum erit.

5) Cf. Schmid l. c. p. 16/17, cui assentior *λόγους ἐπιταφίους* in hymnorum locum aetate sophistarum successisse — cf. E. Conrotte, Pindare et Isocrate, le lyrisme et l'éloge funèbre (Musée Belge 1898), quamquam appositione „le lyrisme et l'éloge funèbre“ plura de hac re exspectari potest; sed quae rationes inter Pindarum et Isocratem — qui quidem magis meram laudem quam orationem funebrem composuit — intercederent, bene et diligenter exposuit.

6) Carmina enumerat Westermann l. c. p. 24 not. 14.

describit. Eum nihil nisi defuncti pulchritudinem et totius corporis et eius partium exornare recte iam observavit F. Schinnerer[1]). Lamentationis genus dilucide exprimit repetitione illa: „*Αἴαξ' ὦ τὸν Ἄδωνιν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις*". Adonidis ergo occisi lamenta et Veneris dolor argumenta opusculi sunt. Non multo aliud iudicium ferri potest de carmine Moscho attributo — num iure non hic locus quaerendi, — quod inscriptum est „*ἐπιτάφιος Βίωνος*". Sed Ahrens[2]) „carminis inscriptio .... non ipsi poetae debetur", inquit, „nec magis Moschei carminis „*ἐπιτάφιος Βίωνος*"; ipsi poetae potius appellassent „*θρήνους*". Verumtamen Moschi opus orationi privatae magis cognatum est priore carmine, quia unius hominis honorandi et querendi causa compositum est. Nam Bionis ars et suavitas summis laudibus effertur eademque abundantia insolentiaque sententiarum carmen referta est, qua posteriores laudes et lamentationes singulorum[3]); exempli causa Bion adaequatur cum Homero; tantus est omnium luctus, ut (v. 84) poeta exclamet: „*πᾶσα, Βίων, θρηνεῖ σε κλυτὴ πόλις; ἅστεα πάντα*". At non caput carminis haec laus est, inserta tantum tumidis pinguibusque lamentis. Sed missos faciamus poetas; tragoediam quantum ad hanc rem pertineat, cum artius illis carminibus ipsis cum temporibus cohaereat, una cum orationibus tractabo. Nunc oratio, quando instituta et quo die festo habita sit, inquirere conor. Antea autem in brevi conspectu, quas rationes inter ludos publicos et diem festum mortuorum militum causa habitum intercedant, nobis ponendum est; fieri non potest, quin summam modo complectamur.

De Moschi epitaphio Bionis.

De ludis.

Ludos sollemnes et publicos Graecorum ortos ac deinceps auctos esse cultu mortuorum i. e. ludis eorum honoris causa habitis constat; Clemens Alexandrinus[4]) testatur: „*Ἴθι δὴ καὶ τοὺς ἀγῶνας ἐν βραχεῖ περιοδεύσωμεν καὶ τὰς ἐπι-*

1) l. c. p. 46.

2) Bionis Smyrnaei epit. Adonidis (Lipsiae 1854) ed. Ahrens p. 28.

3) Cf. Aristidis, Himerii, Choricii orationes.

4) Protrept. et Paedag. ed. O. Stählin, Leipzig 1905, II, 34, 1; cf. eod. l. I, 2 et 3 et II, 13, 1.

τυμβίους ταυτασὶ πανηγύρεις καταλύσωμεν, Ἴσθμιά τε καὶ Νέμεα καὶ Πύθια καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις Ὀλύμπια" κ. τ. λ.[1]). Ludi post funera apparati iam antiquissimi sunt; nam Homerus iis magnum spatium dat[2]); priore tempore ludi gymnici fuisse videntur; sed mox ludi musici accesserunt, cum iam Hesiodus talis certaminis in funere Amphidamantis mentionem fecerit; (Hes. ἔργα καὶ ἡμέραι v. 646—662) de his certaminibus musicis W. Schmid[3]) optime disseruit, ex quo opusculo afferre mihi liceat grammaticos quidem Homeri temporibus ea facta esse putasse, cum Ψ 886 legerent „καὶ ῥήμονες ἄνδρες ἀνέσταν . . ." et „ἀγῶνα ποιήματος ἐν ἄθλοις ἐπὶ Πελίᾳ" Acastum instituentem facerent; sed omitto has quaestiones: id certum mihi videtur certamina illa musica quoque fontem fuisse posterioris orationis[4]), unde paululum declinare ad ludos in orationibus ipsis commemoratos haud alienum sit. Sauppe[5]) enim ludos post funera publica militum ad tertium demum saeculum constitutos esse putat ob eamque causam Menexenum Platoni, orationes funebres Lysiae et Demosthenis nominibus traditas iis abrogat, quae contiones, cum memorent ludos, posterioris aetatis sint. At quarto saeculo ludorum mentio fit et in Isocratis Euagora et in Platonis legibus (12, 947); non autem infitior haec ut illa, quae affert Herodotus (6, 38) et Thucydides (5, 11), certamina in singulos illustres viros condita esse et illum ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν Herodoti (1, 167) non Atheniensium esse sed Phocaeensium. Neque vero minus

1) Cf. Schol. Pind. Isthm. p. 349, et quae Rohde (l. c. I, 150sqq.) de hac re profert.

2) Ψ 258 sq., 630; ω 85 sq.; cf. Rohde l. c. I, 19 sq. Quod certamen in Hesychii (ἐπ' Εὐρυγύῃ ἀγών) lexico legimus „τὸν ἐπ' Εὐρυγύῃ ἀγῶνα ἐπιτάφιον" certamen gymnicum puto et ipsum testimonio esse ad antiquissima et fabulosa tempora relatum esse morem. Homerum certe respicit Philostrat. heroic. 3, 4.

3) W. Schmid, Zur Gesch. d. griech. Dithyr. p. 17 sqq.

4) Gellius noct. Attic. 10, 8, 6 commemorat certamina musica ab Artemisia proposita; de hac re postea.

5) Nachr. d. K. Gesellschaft d. Wissenschaften, Göttingen 1864. p. 199 sq. (Ausgew. Schriften p. 373 sqq.); eodem loco de die epitaphiorum egit.

mihi verisimile videtur quarto saeculo ut iam prius in privato, ita in publico funere antiquum morem renovatum esse; nullum enim obstat testimonium[1]; praecedentia testimonia hanc opinionem confirmant: nam aderant ludi in mortuorum honorem dati; nondum constituti erant in milites mortuos, quo tempore Pericles laudationem habuit; nec mirum hoc: belli temporibus instituta oratio est (quod infra demonstrabimus), belli tempore habita illa Thucydidis: non fuit occasio ludorum edendorum; hos additos esse puto in pace, cum quotannis celebraretur dies festus, quem Ἐπιτάφια vocabant Graeci; et cum incertum, quando anniversarius dies conditus sit, tum quando ludi accesserint[2]. Thucydidis quidem tempore illa pompa modo habita est „καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου, ὁπότε ξυμβαίη αὐτοῖς“ (ἐχρῶντο τῷ νόμῳ; Thuc. II, 34, 7); haec verba per se ipsa clara[3] sunt; itaque diem festum prius occasione modo actum paulatim transisse in diem anniversarium puto; diem festum certum autem et ludos Platonis temporibus in usum receptos esse e Menexeno (p. 249 B) cognovimus. Habemus in nostra patria illius diei festi simile quiddam, quod memoria dignum est: Fridericus Guilelmus Borussorum rex diem constituit in memoriam eorum, qui bellis pro Germanorum libertate gestis mortem obierant; qui dies hodie celebratur nomine Germanico „Totensonntag“ recordatione originis paene oblitterata[4]; sic Epitaphia illa Graecorum Ciceronis tempore florebant (Cic. orat. § 151) ex occasione ipsa iam diu in usum atque certum ordinem trans-

De die Epitaphiorum.

1) Cf. U. v. Wilamowitz-Möllendorf, Aristoteles u. Athen p. 249 not. 131. Hyperidis epithaphius non contra adhiberi potest, quia non integer servatus est.

2) Nec Diodori Siculi memoria (11, 33), quae sequetur (p. 22), commoveor, ut sententiam mutem: Diodorus meo iudicio totam institutionem pompae significat, ut Aristoteles Ἀθην. πολ. c. 58.

3) Rahts „Zur Charakteristik der attischen Standreden an den Gräbern der gefallenen Krieger“ (Progr. Rastenburg 1871) nixus Kruegeri maxime sententia (Histor. philol. Stud. I p. 68; 164; 232) iudicat et quotannis et, si opus fuerit, diem celebratum esse, in pace igitur quotannis, in bello saepius; sed Thucydidis verba ad belli tempora modo spectant.

4) Quam notitiam debeo professori D. Thümmel.

lata. Quo mense ea egerint Graeci — ut hoc addam, — dissensio inter doctos est: Sauppe[1]) enim sibi persuasum habet mense, qui a Graecis appellabatur *Μαιμακτηριών*, funera illa esse apparata; nam Thucydides bis tradidit „*ἐν τῷ χειμῶνι*“; sed eius tempore non quotannis, sed si opus erat, pompa habebatur eaque hieme, dum bellum requiescebat. Itaque quas causas A. Mommsen[2]) recenti editione libri, quem de diebus festis Atheniensium scripsit, profert, qui mense, cui *Πυανοψιών* nomen est, Epitaphia celebrata esse opinatur, meliores esse duco maxime commota inscriptionibus adhibitis, in quibus Thesea una cum Epithaphiis nominantur. Sermo autem, unde deflexit, redeat ad nostram huius diei festi partem, ad ipsam orationem funebrem; haec quando lege funeribus addita sit, incertum est; belli temporibus eam accessisse certum videtur et verisimile est bellis cum Persis gestis honorem constitutum esse; etiam dubius est auctor legis. Iam Soloni institutio adscribitur et quod Thucydides, qui quidem sepulturae sollemnis legem significat, non orationis legem, patrium dicit morem — *τὰ πάτρια* autem ad Solonem referri solent, unde haec opinio nata est[3]) — et quod Diogenes Laert.[4]) de Solonis legibus sepulturae et mortuorum honorandorum loquitur. At ex ipsius Thucydidis verbis primis orationis „*τὸν προσθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε*“ apparet orationem posteriorem caeremoniae partem fuisse, id

De lege orationis habendae.

1) L. c. p. 215, ubi contra Curtii et Mommseni sententias pugnat.

2) August Mommsen, Feste der Stadt Athen, Leipzig 1898, p. 298 sqq.

3) Plut. Publ. 9: *λέγεται δὲ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἐπιταφίων ἐκεῖνος γενέσθαι πρεσβύτερος, εἴγε μὴ καὶ Σόλωνός ἐστιν, ὡς Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν*, et schol. ad Thuc. II, 35, 1.

4) Diog. Laert. autem, qui testis advocatur (I, 55), nulla voce orationem funebrem indicat. — Usum posterioris aetatis in fabulosam antiquitatem reiecit Philostratus (Her. 12, 1) narrans Menestheum pronuntiasse laudationem funebrem in Aiacem mortuum. Quo autem argumento permotus Ioa. Tzetzes (Hist. Chil. II v. 718—723) Aithalidem, Mercuri filium laudet epithaphiorum auctorem, omnino obscurum est; Wernicke (Pauly-Wissowa R. E. v. Aith.) opinionem ortam esse existimat ex eo, quod Aithalides in Iasonis expeditione praeconis munere functus esset; fons fabulae investigari non potest.

quod testatur Dionysius Halic. et Diodorus Sic., quorum testimonia non possum non proferre. Dionysius Halic. (Antiqu. Rom. V, 17) tradit: „*ὀψὲ γάρ ποτ' Ἀθηναῖοι προσέθεσαν τὸν ἐπιτάφιον ἔπαινον τῷ νόμῳ, εἴτ' ἀπὸ τῶν ἐν Ἀρτεμισίῳ καὶ περὶ Σαλαμῖνα καὶ ἐν Πλαταιαῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανόντων ἀρξάμενοι, εἴτ' ἀπὸ τῶν περὶ Μαραθῶνα ἔργων.*“ Diodorus Sic. (11, 33) refert: „*ὁμοίως δὲ καὶ ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ἐκόσμησε τοὺς τάφους τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ τελευτησάντων, καὶ τὸν ἀγῶνα*[1] *τὸν ἐπιτάφιον τότε πρῶτον ἐποίησε, καὶ νόμον ἔθηκε λέγειν ἐγκώμιον τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις τοὺς προαιρεθέντας τῶν ῥητόρων*“. Plutarchus (Arist. 21) pompam, quam Aristides in honorem militum ad Plataeas occisorum constituit, narrat; quo testimonio adductus Westermann[2]) Aristidem legis orationis habendae auctorem arbitratur esse; sed caeremonias illas diversas a sollemnibus Atheniensium funeribus esse censeo neque in iis inesse laudationis funebris Atheniensis fundamentum; nec qui Cimonem et diem festum quasi renovasse et orationem instituisse iudicant, opinionem satis firmis rationibus fulcire possunt, quamvis sagaciter atque acute M. Heauvette rationem intercedere inter Aeschyli tragoediam, quae inscribitur „*Ἐλευσίνιοι*“, et Cimonis renovationem pompae et institutionem orationis (nixus Plutarchi Thesei vita) demonstrare conetur[3]). Sed omitto omnes has opiniones; nam praesertim cum Thucydides diligentissime caeremoniam (II, 34) describens auctorem legis tempusque, quo lata sit, aut taceat aut ignoret, confiteri cogimur nos nihil certi scire; summa modo haec certa, ut iam commemoravi: mos virorum, qui bello occiderant, publice sepeliendorum regione illa, quae ab Atheniensibus „*Κεραμεικός*“[4]) appellabatur, iam Solonis tem-

1) V. not. 2 ad p. 20 h. l.

2) L. c. p. 24 sq. et Comment. de publ. Atheniensium honoribus ac praemiis (Lipsiae 1830) p. 60 sqq.

3) A. Heauvette „Les Éleusiniens“ d'Eschyle et l'institution du discours funèbre à Athènes (Mélanges Weil 1898 p. 159 sq.); Cimonem auctorem defendit etiam C. F. Weber, Ueber die Standrede des Perikles bei Thucydides (Progr. Darmstadt 1827), quem oppugnat Westermann l. c.

4) Cf. Pausanias I, 29, 4 sq.

pore exstitisse videtur; bellis cum Persis gestis oratio ipsa lege addita est; quam legem et morem Atticum i. e. Atheniensem fuisse, ut e prooemiis orationum funebrium maximeque ex ea Menexeni Platonis parte, quae formam habet dialogi, atque e Demosthenis verbis (or. 20, 141) „*πρῶτον μὲν μόνοι τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἐπὶ τοῖς τελευτήσασι δημοσίᾳ ποιεῖτε λόγους ἐπιταφίους*“, ita ex eis, quae de caeremoniis aliarum civitatum Graecarum traduntur, ubi nihil simile occurrit[1]), apparet. Restat, ut de oratoris persona pauca referamus; nam de ipsa procedente pompa Thucydidis narratio c. II, 34 legenda est. Curam caeremoniae munus polemarchi[2]) fuisse constat; gravissimum documentum huius rei apud Aristotelem scriptum legimus: (*Ἀθην. πολιτεία* c. 58) „*ὁ δὲ πολέμαρχος θύει μὲν θυσίας τήν τε τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀγροτέρᾳ καὶ τῷ Ἐνυαλίῳ, διατίθησι δ' ἀγῶνα τὸν ἐπιτάφιον, καὶ τοῖς τετελευτηκόσιν ἐν τῷ πολέμῳ καὶ Ἁρμοδίῳ καὶ Ἀριστογείτονι ἐναγίσματα ποιεῖ.*“ Inde Pollux (VIII, 91): „*ὁ δὲ πολέμαρχος θύει μὲν Ἀρτέμιδι ἀγροτέρᾳ καὶ τῷ Ἐνυαλίῳ, διατίθησι δὲ τὸν ἐπιτάφιον ἀγῶνα τῶν ἐν πολέμῳ ἀποθανόντων*“ et Philostratus (vit. Soph. II, 34): „*τίθησι τὸν ἀγῶνα ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων θαπτομένοις ὁ πολέμαρχος.*“ Orationem autem habuit civis Atheniensis a magistratu propositus (Demosth. or. 18, 285; Plat. Menex. 234 B; Diod. Sic. 11, 33), a populo creatus, id quod apparet e nonnullis orationibus ipsis — Plat. Menex. 234 B et 235 C, Pseudo-

De oratoris persona.

1) Silentio sententiam illam praetereo (Hier. Wolf ad Demosth. Epit. p. 1389, 8 R.) morem orationis ex Aegypto originem traxisse, cui opinioni confirmandae adhibetur Diodorus Sic. I, 92; diversissimum consilium erat: apud Graecos laus honos fuit, apud Aegyptios iudicium. — Cf. Herodot 6, 58 de Spartiatarum regum funeribus; similis esset mos, quem tradidit Pausan. 3, 14, 1, orationum de Leonida habitarum, nisi posterioris temporis esset. Cf. Rohde l. c. II, p. 349, not. 4; Plut. Lyc. 21 *μέλη* nominat non orationes et c. 27 existimat magnum honorem inscriptionem nominum militum in sepulcris. Cf. quae funera Plutarchus descripsit: Pyrrhus 31; Philopoemen c. 21; Timoleon 39. Diod. Sic. 11, 38 de Gelonis legibus et funere; ludi, ut heroici honores, saepe reperiuntur, oratio sollemnis nusquam.

2) Cf. Wilamowitz, Aristot. u. Athen I p. 249.

demosth. epit. 2 — et ex eo, quod Thucydides (c. 34 l. c.) tradidit: „ἀνὴρ ἥρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως ὅς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι καὶ ἀξιώσει προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα". Affirmationis causa afferre mihi liceat haec testimonia: Demosthenes or. 18, 285: „χειροτονῶν γὰρ ὁ δῆμος τὸν ἐροῦντα ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσιν" et Isocrates Paneg. 74: „χαλεπόν ἐστι λέγειν ..... περὶ ὧν οἱ μάλιστα δυνηθέντες τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις πολλάκις εἰρήκασιν" (cf. Plut. Demosth. 21: „ὁ δὲ δῆμος ... (Demostheni) τὸν ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι ἔπαινον εἰπεῖν ἀπέδωκεν"). Posteriore autem tempore polemarchi ipsius fuisse aut habere orationem aut recitare (inde Ciceronis notitia or. § 151) Menander rhetor (l. c.) nos certiores facit dicens: „(τοὺς ἐπιταφίους) οἵους γὰρ εἶπεν ὁ πολέμαρχος, ἐπειδὴ καὶ τούτῳ τὸ τῆς τιμῆς ταύτης ἀποδέδοται παρ' Ἀθηναίοις, τοιούτους ὁ σοφιστὴς συνέταξεν [1]). Unde Himerius sophista exercitationem (μελ. II) inscripsit „πολεμαρχικός". Novam legem edidit Polemon [2]) rhetor, cuius declamationibus verba praeposita sunt: „νόμου ὄντος Ἀθήνῃσι τοῦ ἄριστα ἀποθανόντος ἐν πολέμῳ τὸν πατέρα λέγειν τὸν ἐπιτάφιον ὁ Καλλιμάχου καὶ Κυναιγείρου πατὴρ δικάζονται". Quam fictionem rhetoris artis ostentandae causa esse ita clarum videtur, ut supervacanea omnis disputatio sit.

Sed iam satis superque de forma communi, origine, institutione egerimus; progrediamur ad ipsas orationes inspiciendas earumque dispositionem investigandam atque examinandam.

II.

De Gorgiae fragmentis.

Primum nobis agendum est de Gorgiae oratione, etiamsi cum Gorgias civis Atheniensis non fuisset, re vera non habita sit; nam quanticumque Athenienses eum aestimaverunt, illos

1) Sed diu pro nova oratione moris fuisse, ut Platonis Menexenus repeteretur, Cicero (l. c.) nos docet.

2) Polemonis decl. ed. Hinck; v. Jüttner (Breslauer philol. Abhandl.) 1902, I, p. 47, qui in dissertatione de Polemonis vita et scriptis legem in rhetorum scholis inventam esse recte dicit.

legem neglexisse eius honoris causa persuadere mihi non potest Caffiaux [1]).

Gorgiam ad annum 427 primo legati munere fungentem Athenas advenisse constat [2]). Huic rei quod obstat Philostrati testimonium, de eo paululum digredi mihi liceat. Philostratus enim tradit (Vit. Soph. I, 9): „*διαλεχθεὶς δὲ Ἀθήνῃσι ἤδη γηράσκων εἰ μὲν ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐθαυμάσθη, οὔπω θαῦμα, ὃ δὲ, οἶμαι, καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀνηρτήσατο, Κριτίαν μὲν καὶ Ἀλκιβιάδην νέω ὄντε, Θουκυδίδην δὲ καὶ Περικλέα ἤδη γηράσοντε*“, et Suidas Periclem Gorgiae discipulis assignans Philostratum sequitur. Quas opiniones Spengel [3]) optime refutavit exponens Philostratum considerate scripsisse „*οἶμαι*“ nec Platonem, si re vera Pericles Gorgiae discipulus fuisset, hoc omnibus locis silentio praetermissurum fuisse. Quibus argumentis haec addi possunt: Philostratus Alcibiadem et Critiam illius aetatis iuniores appellat; opponit duo seniores et quid mirum, quod una cum Thucydide nominat Periclem? Ac fortasse Periclis in Thucydideo opere insertas orationes a Pericle ipso eadem forma scriptas et habitas, non aut fictas aut redditas Thucydidis ingenio et arte iudicabat. Cum autem ut in omni Thucydidis dicendi genere, ita in oratione funebri, quam Periclem dicentem fecit, aliqua Gorgianae artis vestigia reperiri possint [4]), his adductus Philostratus Gorgiam Periclis magistrum existimavit; ex eadem sententia manasse puto haec Philostrati verba (II, 257): „*λέγεται δὲ καὶ Ἀσπασία*

---

1) L. c. p. 34 sq.; nam contendit Lysiam scripsisse orationes funebres neminem negare; ac vero scripsisse nemo negat; publice eum habuisse, quas scripsisset orationes, omnino non concedi potest.

2) Thuc. III, 86; Plat. Hipp. mai. 282 B.; Diod. Sic. 12, 53; Pausan. 6, 17, 8; cf. H. E. Foss: „commentationis de Gorgia Leontino particula“ Halle 1828, p. 19 sqq.

3) L. Spengel, *Συναγωγὴ τεχνῶν* sive artium scriptores (Stuttgart 1828) p. 64 sqq.

4) E. Scheel, de Gorgianae disciplinae vestigiis (dissert. Rostock, 1890) p. 40/41, p. 52 sq. (de epit. p. 55); Wilamowitz, Hermes 11 p. 294; ibid. 12 p. 365; F. Blass, Attische Beredsamkeit I p. 59/60; III, 2 p. 326 (Nachträge I); Norden, Antike Kunstprosa p. 98 not. 2.

ἡ Μιλήσια τὴν τοῦ Περικλέους γλῶτταν κατὰ τὸν Γοργίαν θῆξαι“ [1]). Sed ne diutius demorer: id certum est post annum 427 orationem compositam esse; annus ipse incertus manet, id quod haud magni momenti est, quia exercitationi modo inserviit haec laudatio. Nimium spatii fortasse Drerup [2]) operi conficiendo dat contendens inter annos 427 et 380 contionem compositam esse. Verisimile mihi videtur belli Peloponnesiaci temporibus Gorgiam multis tum habitis orationibus incitatum esse ad suam declamationem [3]) fortasse aemulantem Pericli, cuius oratio recens in Atheniensium memoria haereret, ut brevi post annum 427 censeam laudationem scriptam eamque recitatam esse, dum Gorgias Athenis versatus sit; nam alia in urbe mori huic vere Atheniensi obsequendi occasio ei defuit. Sed ad ipsam orationem aggrediamur; de qua Philostratus nos sic docet (Vit. soph. I, 9): „ὁ δὲ ἐπιτάφιος, ὃν διῆλθεν Ἀθήνησι, εἴρεται μὲν ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων (πεσοῦσι) οὓς Ἀθηναῖοι δημοσίᾳ ξὺν ἐπαίνοις ἔθαψαν, σοφίᾳ δὲ ὑπερβαλλούσῃ ξυγκεῖται· παροξύνων τε γὰρ τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ Μήδους τε καὶ Πέρσας καὶ τὸν αὐτὸν νοῦν τῷ Ὀλυμπικῷ ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὁμονοίας μὲν τῆς πρὸς τοὺς Ἕλληνας οὐδὲν διῆλθεν, ἐπειδὴ πρὸς Ἀθηναίους ἦν ἀρχῆς ἐρῶντας, ἣν οὐκ ἦν κτήσασθαι μὴ τὸ δραστήριον αἱρουμένους, ἐνδιέτριψε δὲ τοῖς τῶν Μηδικῶν τροπαίων ἐπαίνοις ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς, ὅτι τὰ μὲν κατὰ τῶν βαρβάρων τρόπαια ὕμνους ἀπαιτεῖ, τὰ δὲ κατὰ τῶν Ἑλλήνων θρήνους“. Laudes ergo rerum gestarum et admonitionem orationi infuisse iam his praemissis intellegi potest.

---

1) Caffiaux l. c. omnia, quae Philostratus de Gorgia tradidit, vera existimat et confirmat (p. 34 sq.).

2) Drerup, Die Anfänge der rhetor. Kunstprosa (Jahrb. f. kl. Philol. 27. Suppl. 1902 p. 251 sq.); cf. Susemihl, Gorgias u. d. att. Prosa (N. J. f. kl. Phil. Bd. 115 p. 793), qui inter annos 426—20 ponit compositionem; Blass l. c.; cum his teneo Athenis compositam et recitatam esse orationem. Isocratem adaequare studuisse magistri laudem inprimis exposuit Scheel l. c. p. 40 sq.

3) Talem esse demonstraverunt etiam Maass, Untersuch. z. Gesch. d. griech. Prosa, Hermes 22 p. 575; Chaillet l. c. p. 17 sq.; Buresch l. c. p. 72; Schinnerer l. c. p. 28.

Fragmentum autem, quod Maxim. Planud. Schol. ad Hermogenem p. 412 servavit, laudationem mortuorum continet, quae incipit verbis Gorgianae artis plenis: „*τί γὰρ ἀπῆν τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ὧν δεῖ ἀνδράσι προσεῖναι; τί δὲ καὶ προσῆν ὧν οὐ δεῖ προσεῖναι;*“ tum suum orator studium contionis quam dignissime componendae declarat; communis sequitur praedicatio: „*οὗτοι γὰρ ἐκέκτηντο ἔνθεον μὲν τὴν ἀρετὴν, ἀνθρώπινον δὲ τὸ θνητόν*“; singulae deinceps defunctorum virtutes laudantur: consilio et re viros sese praebuerunt, misericordes in miseros, vindices in malos, audaces et placidos suo tempore, temperantiae plenos, superbos in superbos, modestos in modestos, fortes in fortes, validos inter validos; rursus laudibus, ne dicam hymnis efferuntur: „*μαρτύρια δὲ τούτων τρόπαια ἑστήσαντο τῶν πολεμίων, Διὸς μὲν ἀγάλματα*[1] *τούτων ἀναθήματα*“ *κ.τ.λ.*; deinde religio in deos, pietas in parentes, aequitas in cives, fides in amicos praedicantur; animadvertendum est solum animi virtutes significari. Initium autem consolationis videor mihi persentiscere in ultimis, quae traduntur, verbis: „*τοιγαροῦν αὐτῶν ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ᾽ ἀθάνατος οὐκ ἐν ἀθανάτοις σώμασι ζῇ οὐ ζώντων*“, et sonus lamentationis suppressae resonat in sententia illa „*ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν*“. Hae sunt reliquiae Gorgiae laudationis[2]); possumus e Philostrati verbis enucleare partes rerum gestarum laudis et admonitionis, praedicationem mortuorum exordiumque consolationis e scholiastae fragmento. Quos in mortuos declamatio ficta sit, erui non potest; communis laus omnium, qui prioribus bellis interfecti erant, esse videtur; e Philostrati argumentis concludi potest in mortuos bellorum cum Persis gestorum compositam esse orationem, ut recordatione illarum pugnarum averteret orator animos audientium a bello inter ipsos Graecos exorto, quo spectant ultimae Philostrati sententiae; quae opinio

1) Cf. Simonidis v. 3: *βωμὸς δὲ ὁ τάφος* .... (p. 17 h. l. Sim. frg. 4).

2) Nam singula quaedam brevissima Gorgiae fragmenta utrum orationis funebris sint necne, dubium est eaque breviora sunt, quam ut ex iis quidquam novi afferri possit.

fulcitur loco illo, quem affert Aristoteles (rhet. 3. 10, 1411a 31) „καὶ οἷον ἐν τῷ ἐπιταφίῳ διότι· ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κεῖρασθαι τὴν Ἑλλάδα ὡς συγκαθαπτομένης τῇ ἀρετῇ αὐτῶν τῆς ἐλευθερίας“; nam haec verba re vera ad Gorgiae, non ad Lysiae orationem redire magna veritatis specie defendit Wilamowitz [1]); ac Diels quoque (l. c. p. 52 annot. 1) dubium ducit, num orationem [2]), quae Lysiae fertur. Aristoteles respiciat. cum similibus locis genus epitaphiorum abundet. refutatque coniecturam. quam fecit Babington. recepit Sauppe. „ἐν Λαμίᾳ“. Recte Wilamowitz. cuius sententia probata nulla mutatione opus est. mihi videtur censere summam sic comprehendens: „laudat Aristoteles eum epitaphium. qui solus aut princeps hac appellatione (simplicem Aristotelis spectat vocem „ἐν τῷ ἐπιταφίῳ“) dignus est. quem cum alii multi tum Lysias personatus imitatione dum superare volunt. corruperunt. epitaphium Gorgiae“. Quasi fastigium liberae et potentis rei publicae pugnam Salaminiam orator in Atheniensium memoriam revocare et significare vult.

Si quaerat quispiam, cur tantum laboris ac temporis consumamus in Gorgiae fragmentis [3]) inquirendis, respondendum est permultum valuisse illo et posteriore tempore eius auctoritatem. etiamsi quanti eam Susemihl [4]), qui creatorem orationis solutae eum declarat. tanti non aestimo. Assentior

---

1) In dissertatiuncula, quae adnexa est commentationi de tertio libro Aristotelis artis rhet., quam scripsit Diels, Abhdlg. d. Berl. Akad. 1889, p. 35 sq.; cf. Wilamowitz (Aristot. u. Athen p. 350) contra Schöll (Sitz.-Ber. d. Münch. Akad. 1889/II) disputantem; de coniectura „ἐν Λαμίᾳ“ cf. Sauppe, Gött. Gel. Anz. 1863, p. 73 sq.

2) Pseudolys. epit. § 60 „ὥστ' ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ τότε κεῖρασθαι τῇ Ἑλλάδι καὶ πενθῆσαι τοὺς ἐνθάδε κειμένους, ὡς συγκαθαπτομένης τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας τῇ τούτων ἀρετῇ“.

3) De singulis sententiis et figuris iam diligentissime, ut supervacaneum putem hanc renovare quaestionem, egerunt Blass l. c., Norden l. c., Scheel l. c., Drerup l. c. p. 257—265, Chaillet l. c. p. 24 sq., Caffiaux p. 29 sq.; is, cur abroget fragmentum a Schol. Plan. servatum Gorgiae, intellegere nequeo.

4) L. c. p. 799 sqq.

Eduardo Meyer [1]) formam orationis funebris traditione iam certam constitutamque fuisse Gorgiae aetate; attamen illum, ut summa utebatur arte rhetorica, verisimile mihi videtur ita exornasse hoc dicendi genus, ut clarissimum daret et discipulis et posteris exemplum; num ipse de oratione funebri praecepta dederit, ignoramus; nam omnia de hoc genere praecepta multo posterioris aetatis sunt, id quod in priore libelli parte vidimus. Exemplar perfectae orationis dedisse eum e paucis traditis verbis apparet. Sed haec hactenus.

De Periclis et Thucydidis oratione.

Ad gravissimum atque illustrissimum illorum temporum virum et oratorem accedamus, ad Periclem, quocum una tractandus est Thucydides. Primam, de qua nos certiores facti sumus, laudationem funebrem habuit [2]) Pericles fine belli Samii a. 440, qua vehementissime commovisse eum Atheniensium animos Plutarchus (Pericles 28) nobis narrat simulque afferens duo fragmenta e Stesimbroto et Ione hausta: sed ipsum dicentem faciam Plutarchum: (c. 28) „*ταφάς (τε) τῶν ἀποθανόντων κατὰ τὸν πόλεμον ἐνδόξους ἐποίησε . . . .*; (c. 8) *ὁ δὲ Στεσίμβροτός φησι, ὅτι τοὺς ἐν Σάμῳ τεθνηκότας ἐγκωμιάζων ἐπὶ τοῦ βήματος ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι καθάπερ τοὺς θεούς· οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς, ἃς ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ παρέχουσι, ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα· ταῦτ' οὖν ὑπάρχειν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανοῦσιν*“. Haec verba Periclis ingenium atque dignitatem spirant [3]); sequentia (eod. l.) „*θαυμαστὸν δέ τι καὶ μέγα φρονῆσαι καταπολεμήσαντα τοὺς Σαμίους φησὶν αὐτὸν ὁ Ἴων, ὡς τοῦ μὲν Ἀγαμέμνονος ἔτεσι δέκα βάρβαρον πόλιν, αὐτοῦ*

1) Forschungen z. Geschichte des Altertums II p. 219 sqq.

2) Quaestionem illam, num scripserit orationes Pericles, silentio praeterire mihi licere puto, cum permulti docti de ea disputaverint antiquorumque testimonia (Cic. de orat. II, 93; Brut. 27; Quintil. instit. orat. III, 1, 12; sed anteponendi Platon Phaedr. 257 d.; Plutarchus Pericl. 8) recensuerint; exponit diligentissime Spengel l. c. p. 62/63 eum neque scripsisse neque edidisse orationes maxime ex Platone et ex Plutarcho apparere; consentaneum autem est dicta viri tantae claritatis et magnitudinis in hominum memoria remansisse et viguisse.

3) Itaque ea imitatus est auctor epitaphii Demostheni adscripti (§ 34); v. p. 67 h. l.

δὲ μησὶν ἐννέα τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους Ἰώνων ἑλόντος", iam usum ac tractationem redolere mihi videntur; quam cantilenam rhetoricam, comparationem cum viris fortissimis belli Troiani dico, posteriores oratores libentissime usurpaverunt, velut Isocrates, Pseudodemosthenes, Hyperides [1]). Ex hac Samia oratione puto restitisse et floruisse in posterorum memoria sententiam illam pulcherrimam, quam bis [2]) profert Aristoteles: „τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι ὥσπερ τὸ ἔαρ ἐξ ἑαυτοῦ", — quem locum sic probavit Herodotus, ut eum in suo libro adhiberet [3]); — tum bello confecto aptior fuit, cum in memoriam audientibus revocaret, quantum amisissent, quam bello ineunte; solamen quidem victoriae reportatae et gloriae occisorum superstitibus manebat.

Ex his dispersis locis haud multum de ordine partium colligi potest: praedicationem et consolationem e Stesimbroto coniciam et ex Ione; Aristoteles quod affert, in lamentationis loco fuisse puto.

Priusquam autem alteram Periclis orationem inspiciamus, paucis complecti conabor, num re vera habuerit Pericles orationem praemisso brevi conspectu quaestionis, utrum Thucydides ad verbum expresserit Periclis allocutiones an omnino eas finxerit. Plerique viri docti singulis opinionibus paulum pro suo quisque animo mutatis ac variatis consentiunt [4]) Thucydidem respexisse quidem Periclis orationes,

1) Isocr. Euag. 65; Pseudodemosth. epit. 10; Hyperid. epit. 35 (ed. Blass).

2) Rhet. I, 7, 1365, 31 et ib. III, 10, 1411, 4.

3) Herod. 7, 162; nam Kirchhoff (Entstehung d. Herodot. Gesch.-Werkes) et E. Meyer (l. c.) recte iudicasse arbitror Herodotum hanc locutionem, quam audivisset, imitatum esse; in oratione sententia per se ipsa intellegebatur. Herodotus eam autem interpretatur, quia haud ita accommodata est illi loco. Cf. Wilamowitz, Hermes 12, p. 365 (Die Thucydideslegende).

4) Exempli causa appellentur Westermann l. c. p. 29; Blass l. c. p. 233; E. Meyer l. c. p. 380; J. Bruns (d. liter. Portrait d. Griechen) de Pericle cap.; Chaillet l. c.; Rahts l. c. p. 5. Alii ut O. Drefke (de orationibus quae in priore parte histor. Thuc. insunt, Halle 1877), Drerup (Die hist. Kunst der Griechen, Jahrb. f. kl. Phil. Suppl. 27

quas audivisset, sed eas pro suo ingenio et genere scribendi disposuisse atque exornavisse, cum ad legendum, non ad dicendum opus scriberet. Nam nota illa, quae Thucydides de hac re initio operis exposuit (I, 22); his dilucidum esse ego quoque iudico Thucydidem sententias quasdam moresque oratorum, quos induxit, respexisse, interdum etiam ordinem ac tempus vere habitae contionis servasse, sed plerumque suo consilio eoque loco, qui aptus ei visus esset, orationes interposuisse. Poterant viri dixisse has orationes, non debebant. Orationem, quam Thucydides Periclem fine anni 431 in honorem defunctorum primi belli Peloponnesiaci anni dicentem inducit certe non fictam esse mihi persuasum habeo, quamquam hanc opinionem oppugnat Dionysius Halicarnasseus (*περὶ Θουκυδίδου* § 18 sq.): pauciores fuisse huius anni mortuos, quam quos tanta pompa Athenienses prosecuti sint. At ne obliviscamur Periclem, ut erat prudentissimus, quantum bellum coepisset, quam grave et longinquum futurum esset, deliberantem sane libenter facultatem populi incitandi atque adhortandi arripuisse; nec mirum, quod in perpaucos viros verba fecit: erant enim primi illius belli incuntis mortui — ipse id significare Thucydides videtur narrans (II, 34,8): „*ἐπὶ δ'οὖν τοῖς πρώτοις τοῖσδε Περικλῆς ὁ Ξανθίππου ἠρέθη λέγειν*“ — et primi cuiusque belli mortui maxime sensus populi excitare et permovere solent; nam eorum casus principium iacturae et maeroris est. Itaque Periclem laudationem illo anno pronuntiavisse pro certo habeo; sed eandem, quam Thucydides profert, eum habuisse nego; est enim maiore ex parte, ut commode declarat Müller-Strübing [1]), lamentatio — et liceat mihi addere — laudatio funebris in Atheniensium liberam rem publicam et civitatem a Thucydide ex eventu scripta; grandibus lineis designare vult, quanta aucto-

---

p. 450); Wilamowitz (Hermes 11 p. 295) omnino fictas censent contiones esse; contra Welzhofer (Thucydides u. sein Geschichtswerk p. 77), cui inclinat Caffiaux (p. 60 l. c.), ad verbum Thucydidem omnes orationes reddidisse existimat.

1) Thucydid. Forsch. p. 76.

ritate ac dignitate civitas fruita sit, ut audientium animi eo magis commoverentur ruinis tantae rei publicae. Hac de causa Thucydidi ob oculos versatam esse orationem Samiam Eduardo Meyer[1]) concedere nequeo; altera erat causa, alterum consilium: bello feliciter confecto laudis mortuorum, consolationis superstitum causa, priorem, bello incunte, adhortandi et inflammandi animos ad futuros labores causa posteriorem dixit Pericles epitaphium. Optime sensit hoc Thucydideae orationis consilium et Menander rhetor (l. c.) animadvertens „*καὶ ἀπὸ θρήνου τὸ ποσὸν ἐφυλάξατο διὰ τοῦ πολέμου τὴν χρείαν*“ et scholiasta[2]) artis rhetoricae, quae Dionysi Halic. fertur, cum orationem generis demonstrativi et deliberativi esse doceat. Sed ipsam laudationem percurramus.

II. 35. In prooemio Pericles dicit se non ut priores oratores — et posteriores item faciunt — admirari posse auctorem legis, qua, ut oratione occisi celebrentur, praescribatur, quia, ne unius viri eloquentia multorum virtutum praedicatio periclitetur, re melius viri fortes honorentur; nam facile fieri, ut peritis et benevolis minus, nimium laudari imperitis ac malevolis videantur interfecti; sed se legi oboedientem pro viribus dicturum esse atque initium capere a gloria
II, 36, 1–4. maiorum. Indigenas eos fuisse („*τὴν γὰρ χώραν οἱ αὐτοὶ ἀεὶ οἰκοῦντες*) — orator verbum „*αὐτόχθονες*“ fugit, quod posteriores conterere solebant[3]), — liberam terram eos filiis reliquisse, qui liberam eam conservassent; vivos

1) L. c. p. 219 sq.

2) Comment. schol. rhet. cap. 9 (ed. Usener-Radermacher II p. 306 sq.); haec verba apponere liceat: „*ἀλλὰ καὶ Θουκυδίδης δύο ὑποθέσεις συμπλέκει ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἐπιταφίῳ· τῆς μὲν γὰρ ἐγκωμιαστικῆς ἰδέας ἐστὶ ὁ ἐπιτάφιος, συμπλέκεται δὲ ἰδέα συμβουλευτική. οὐ γὰρ μᾶλλον ἐπαινεῖ τοὺς τεθνεῶτας ἢ τοὺς ζῶντας ἐπὶ τὸν πόλεμον παρακαλεῖ ...*; (et cum auctor belli, Pericles, orationem habeat) *τρίων ὄντων κεφαλαίων τοῦ ἐπιταφίου, ἐπαίνου, θρήνου, παραμυθίας, τὸ ἓν τῶν κεφαλαίων ὑπερβαίνει, τὸν θρῆνον*“ *κ. τ. λ.*

3) „*τόποι*“ orationis funebris collecti et compositi sunt a Theodoro C. Burgess („Epideictic literature“ Chicago 1902) p. 146 sqq.; cf. Chaillet l. c. p. 72 sq., qui sententias quoque similes diligenter collocavit.

autem potentissimam et tutissimam civitatem praestare. Res bellis felicissime gestas praeterit orator inter scientes loquens: II, 36, 4.
tempus sibi aptius videri et apud cives et apud hostes exponendi „ἀπὸ δὲ οἵας τε ἐπιτηδεύσεως ἤλθομεν ἐπ' αὐτὰ καὶ μεθ' οἵας πολιτείας καὶ τρόπων ἐξ οἵων μεγάλα ἐγένετο“ [1]).

Ea clara urbis laudis dispositio, quam hoc modo II, 37–42.
peragit Pericles: Athenienses sibi non ab altera civitate exemplar repetisse, ipsos exempla esse aliis; liberam rem publicam vocari omnesque cives eius administrandae participes aequa lege frui; liberales et optimos eorum inter sese mores; eos magistratus colere, leges et latas et animo innatas sacras ducere, ludis publicis tristitiam fugare, aditum ad urbem omnibus permittere, re militari praestare adversariis, educatione meliore quam Lacedaemonios uti, potentes esse copiis terrestribus et maritimis. Vitia vero Atheniensium orator in virtutes vertit eorumque levitati magis favet quam adversariorum severitati. Tum praedicat studium philosophiae et honorem non opibus sed industriae habitum; haec quoque propria Atheniensium: eos inutilem existimare rerum publicarum neglegentem civem, deliberare et consilia capere de negotiis ineundis, beneficiis non acceptis sed redditis firmos conciliare amicos. Quos quasi hymnos quosdam Pericles sic complectitur: „ξυνελὼν τε λέγω τήν τε πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν II, 41, 1.
εἶναι“. Et Athenienses, virtutum documenta cum possideant summam inter Graecos auctoritatem et potentiam, non desiderare poetarum laudes.

Pro hac urbis laude brevis sequitur ipsorum mortuorum II, 42-43, 4.
laus [2]) — rerum scriptor hunc fecit ordinem —; in urbis

---

1) E Periclis et Platonis orationibus (ut postea videbimus) Hermogenis de laude Athenarum praecepta fluunt (Hermog. προγυμνάσματα v. Spengel, Rhet. Graec. II p. 13/14: „ἐρεῖς γὰρ καὶ περὶ γένους ὅτι αὐτόχθονες, καὶ περὶ τροφῆς ὡς ὑπὸ θεῶν ἐτράφησαν, καὶ περὶ παιδείας ὡς ὑπὸ θεῶν ἐπαιδεύθησαν. ἐξετάσεις δὲ ὡς ἐπὶ ἀνθρώπου, ποταπὴ τοὺς τρόπους ἡ πόλις; ποταπὴ τὴν κατασκευήν; τίσιν ἐπιτηδεύμασιν ἐχρήσατο; τίνα κατέπραξεν;

2) Optime Caffiaux (p. 46 l. c.): C'est ainsi qu'un élément secondaire (laus patriae) se trouva substitué à l'élément principal (laus

praedicatione contineri gloriam occisorum; pro tanta patria eos fortissime pugnare, libentissime mori debere. Repetit laudem virtutum, effert fortitudinem militum, qua commoti dedecus vitare quam vitam servare maluerint. Quos non lamentatur orator, sed beatos eos praedicat, qui illustrem a civibus honorem, immortalem apud posteros famam [1]) assecuti sint non solum in sua patria sed ubique; nam totum mundum
II, 43, 4. virorum fortissimorum sepulcrum esse; unde admonitionis initium sumit: imitentur illorum virtutes superstites! Ibi Periclis ipsius aliqua verba [2]) interlucere mihi videntur, quae sunt: „*τὸ εὔδαιμον τὸ ἐλεύθερον, τὸ δ' ἐλεύθερον τὸ εὔψυχον κρίναντες, μὴ περιορᾶσθε τοὺς πολεμικοὺς κινδύνους*“. Inter hanc communem et posteriorem singulorum parentum
II, 44, 1. admonitionem Thucydides sibi non ignotam esse lamentationis partem (*τοὺς τοκέας . . . . οὐκ ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ*
II, 44—46. *παραμυθήσομαι*) attingens interponit consolationem haud ita distincte separata sequente adhortatione; solatii causa parentibus ante oculos ponit orator pulcherrimam illos mortem obiisse, sese consolari eos debere aut aliorum filiorum spe aut aeterna interfectorum gloria; animadvertendum est nullam consolationem repeti ab animae immortalitate [3]). Perseverat in admonitione: filiis et fratribus laborandum esse, ut adaequent gloriam occisorum, difficillimum quidem factu laudibus

---

mortuorum); orationum modo scriptarum talem dispositionem esse arbitror; nam in illa una laudatione, quae vere habita tradita est, Hyperidis epitaphium dico, laus mortuorum ac ducis principatum tenet.

1) Cf. Simonides (l. c. p. 17 h. l.) v. 4—5: *ἐντάφιον δὲ τοιοῦτον οὔτ' εὑρὼς — οὔθ' ὁ πανδαμάτωρ ἀμαυρώσει χρόνος.*

2) Iis speciem veritatis Thucydides fortasse augere voluit; nam haud ita congruunt ad praecedentem Atheniensium levitatis laudem spirantque curam Periclis reconditam.

3) Cf. Caffiaux l. c. p. 51 sq.; Sybel quoque (Christl. Antike I p. 59) eam rem documento esse dicit illo tempore nondum evanuisse Homericam opinionem vitam post mortem tristem atque obscuram esse, qua de causa Pericles eius mentionem non fecerit. Cf. Rohde l. c. II p. 203 sq.; Lehrs, Popul. Aufs. p. 329 sq.; Meuss, Vorstellungen vom Dasein nach dem Tode bei d. attischen Rednern (Jahrb. f. kl. Phil. 1889) p. 801—815.

mortuis quam vivis libentius attributis [1]). Pauca mulieribus dici posse; magnae iis laudi esse pro sua natura non indigne ferre dolorem, famam vitare [2]). Tum ad epilogum transit: legi se satisfecisse, pompa iam honoratos esse mortuos, eorum liberos educandos civitatem curaturam [3]) esse (id quod solatium quoque includit); ultima verba usum et quasi formulam (cf. p. 42 h. l.) olent; sunt enim „*νῦν δὲ ἀπολοφυράμενοι ὅν προσήκει ἑκάστῳ ἄπιτε*“. II, 46, 2.

Capita ergo orationis facile discerni et colligi possunt: I. exordium, II. laudatio, III. admonitio et consolatio, IV. peroratio; Pericles cur lamentationem reliquerit, iam dixi. Admonitioni, cum artissime cum consolatione coniuncta sit, suum caput non attribuam; recondita quidem adhortatione tota laudatio Athenarum perfusa est: ut tantam rem publicam servent cives! Maior pars contionis quia ad Athenarum laudem pertinet, eam a Thucydide ita profectam esse censeo; hic cetera capita celeritate quadam absolvit; itaque quamquam nullum locum omnino neglexisse (praeteritione quidem tangit questum) Thucydidem vidimus, tamen eius opus exemplar popularis orationis funebris fuisse, cum sui propositi gratia exornasset et commutasset partes, quas et Periclis vera oratio et Gorgiae declamatio incluserant, nego. Rerum scriptoris non oratoris ad populum loquentis ut dispositio, ita oratio est. Auctoritatem disciplinamque contionis, quae haberi poterat, praescribere

---

1) Solonis fortasse legem in animo habet acerbitate quadam dicens (II, 45, 1) „*τὸν γὰρ οὐκ ὄντα ἅπας εἰώθεν ἐπαινεῖν*“, ex qua illud „de mortuis nil nisi bene“.

2) Hanc sententiam Wilamowitz comparat cum Gorgiae dicto (tradito in Plutarchi libello de mulier. virtut.), cui (cf. Hermes 11 p. 294):

„*κομψότερος φαίνεται κελεύων μὴ τὸ εἶδος ἀλλὰ τὴν δόξαν εἶναι πολλοῖς γνώριμον τῆς γυναικός*“. Thuc. II, 45, 2: „*μεγάλη ἡ δόξα καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.*“

Fortasse hoc respexit Thucydides ad suumque iudicium mutavit.

3) Liberis ut civitas consuleret, iam Solon constituit (Diog. Laert. I, 55); memoratur lex quoque apud Aischinem adv. Ctesiph. 154; cf. Wachsmuth, Hellen. Altertumskunde II, 1 p. 121; Boeckh, Staatshaushalt d. Ath. I, 342.

De Platonis Menexeno (et de Archino ac Dione).

Platonis Menexenum puto, etiamsi non infitior longius temporis spatium ei et Thucydidis intercessisse laudationi, quam ut non commutationes interdum factae sint; at in hoc dicendi genere eas non magnas fuisse censeo. Sed quid quod Menexenum antepono ei, quae Lysiae datur, orationi? Quia auctorem Lysianae orationis imitatum esse Menexenum, nec Menexeno dialogo Platonem respicere et intendere ad Lysiae contionem persuasum mihi habeo [1]); nam in Phaedri libro Platon aperte pronuntiat Lysiae nomen, nec si in Gorgiam invehitur, alterius nomine eum tegit. Initio operis nobiles epitaphiorum auctores profert Archinum Dionemque quasi de re manifesta Menexenum inducens loquentem (234 B): „οἶμαι μέντοι Ἀρχῖνον ἢ Δίωνα αἱρεθήσεσθαι". Archinum clarissimum rei publicae administrandae virum fuisse arteque dicendi excelluisse constat [2]); eius epitaphium tam illustrem fuisse, ut Isocrates ad Panegyricum componendum eo uteretur, Photius (l. c.) tradidit; sed nihil amplius de hoc opere neque de Dione notum habemus. Redeat ergo sermo ad Platonis opusculum. Iure annon dialogus Platoni abrogetur, quam brevissime comprehendam; nam satis superque de hac re viri docti disputaverunt. Platonem auctorem negaverunt — nonnullos modo indico — Schleiermacher, Ast, Zeller, Suckow, Steinhart, Ueberweg, Schaarschmidt, Wilamowitz [3]); nota eorum opera nec hic opus est longius de iis disserere; genuinum Platonis opus aestimant dialogum Socher, Westermann, Krueger, Stallbaum, Blass, Hirzel, Diels aliique; quorum vestigia sequor maxime adducta antiquorum testimoniis.

1) Cf. Spengel, *Συναγ.* p. 147 sqq.

2) Dionys. Halic. de Thuc. iudicio c. 23 et auctor artis rhet., quae eius fertur; — hic Naucratem quoque nominat; de hoc (v. Schinnerer l. c. p. 37) nihil certi; coniectura *Ναυκράτης* loco *Ναυσικράτης* (Plut. Cimon c. 19) difficilior mihi videtur; etiamsi eam probemus, haud ita multum lucremur. — de Archino cf. Pseudoplut. vit. X. orat. 832 d; Photius 487 b 34; Stallbaum ad Menex.; Krueger, Hist. philol. Stud. I p. 342 sqq.; Blass l. c. II p. 13; Judeich in Pauly-Wissowa R. E. (Neue Bearb.) II p. 540.

3) Is (Aristoteles und Athen II p. 99 sq. annot. 35) Aspasiam dignam fuisse, cuius mentionem Plato in opere fecisset, acerrime negat; at Aspasia Periclis amica haud ita contempta mulier fuit; cf. Hirzel, D. Dialog I p. 79.

Aristoteles enim locum Menexeni bis affert, Cicero sine ulla dubitatione orationem commemorat, Dionysius Halic. de dictione iudicat auctore Platone non in dubium vocato; itemque auctor libelli „περὶ ὕψους“ Diogenes Laert. Menexenum cum aliis dialogis a Thrasyllo Platoni attributis enumerat[1]). Non me fugit discrepantia libelli partium; quam alii irrisionis causa factam esse censent, alii infirmitate quadam artis rhetoricae[2]); plerique irrisionis[3]) causa scripsisse dialogum iudicant, quam quidem in ea parte, quae sermonem complectitur, dominari nemo negare potest. At difficultatem explicandi umquam omnino tolli posse infitior assentiens eis, quae imprimis Bruns (D. literar. Portrait d. Griech. p. 356—60) et Diels (l. c.) declarant: rationes quasdam ad aequales pertinentes in opusculo inesse, quas perspicere nequeamus; quoddam artis vitium constare in eo, quod, cum alii dialogi interpretatione et commentario non egeant, iis opus sit ad Menexenum plane intellegendum. Fortasse dialogum repen-

1) Aristot. Rhet. I, 9, 1367 „ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν“ ... et Rhet. III, 14, 1415; Cicero orat. § 151, de quo loco postea agendum est; Dion. Halic. de Demosth. c. 23 et 24 sq.; Diog. Laert. III, 56; Pseudodionys. art. rhet. c. 6, I; auctor libelli περὶ ὕψους p. 47 et 51 (III. ed. Vahlen).

2) Hi Platonem exemplar dare perfectae orationis voluisse existimant, ut Westermann, Stallbaum, Bruns, Norden, Diels (l. c.).

3) F. Hermann, Buresch, Wendland „Die Tendenz des Plat. Menex.“ (Hermes 25) „est ludus et iocus“; Berndt, de ironia Menexeni Platonici (dissert. Münster 1881); Roch, Die Tendenz d. Platon. Menex. (Progr. Görz 1882); Leickert, Krit. Betracht. üb. Pl. M. (Progr. Straubing 1878/79) — hic opusculum mulierculae scriptitantis dialogum appellat! — aliique; de sermone orationem praeeunte cf. Hirzel, D. Dialog I p. 175 not. 1 (idemque de Menexeni persona I p. 126) et A. Croiset, Sur le Ménexène de Platon (Mélanges Perrot 1902 p. 59 sq.); sed omnia, quae de Menexeno scripta sunt, afferre nequeo. Nominare modo volo spinosiorem sententiam, quam Perthes (Progr. Bielefeld 1885/86 „D. platon. Schrift M. im Lichte der Erziehungslehre Platos“) profert: magistrum populi eo libello sese praebere voluisse Platonem. Deverticulum spernendum mihi videtur ingredi Caffiaux; nam (l. c. p. 83 sq.) „un collaborateur anonyme“, inquit, „nous semble avoir altéré l'oeuvre de Platon, et le Ménexène, dans son état actuel, ne nous présente que d'une manière incomplète l'amélioration que voulait réaliser le philosophe.“

tina cogitatione permotus Plato adumbravit, fortasse si acta diurna Atheniensium haberemus, causam et tempora cognosceremus. Ad Lysiam [1]) spectare Platonem negavi; Platonem taeduisse rhetorum iactantium se ex tempore dicere debere, etiamsi diligentissime exercitationes et orationes praeparavissent, eumque ab his concitatum ostendere voluisse talem contionem unumquemque (qua de causa Aspasiam inducit) sine ulla contentione et praeparatione fundere posse maluerim credere dialogi parte adhibita; itaque ipsam orationem irrisionem esse mihi persuadere nequeo; exemplar non perfectae atque absolutae laudationis dare voluit, sed exemplum orationis sui temporis, quod difficillimum opus dictitarent illi sophistae et quod tam facile conglutinari posset; id modo concedo ironiam prioris partis in laudem rerum gestarum irrepsisse [2]) temporibus summa audacia neglectis; fortasse autem gustum aequalium fovit; at partes consolationis atque adhortationis — ut haec praecipiam — plenae severitatis et pulchritudinis et dignae Platone sunt; si qui omnem Platonicae immortalitatis animae significationem opponunt deesse, responderi potest Platonem hoc opere non sua egisse sed descendisse ad popularem contionem, cui illae philosophi sententiae alienae essent. Ea hac forma populo probata est, id quod Cicero testatur (or. 44 § 151) „in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in contione eos, qui sint in proeliis interfecti; quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, suo die recitari necesse sit"; quae verba — nam Cicero certissimus testis est — maxime obstant opinioni eorum, qui integrum libellum irrisionis causa scriptum esse censent; nam Athenienses, etiamsi non Platonis aequales essent, non iam animadvertisse illusionem magis mirum est; exemplar aetatis, qua exculta florebat oratio huius generis, Platonis laudationem ducebant. Qua ratione Menexenus pendeat e Thucydide atque Isocrate — ex Herodoto etiam in laude

1) Contra Schönborn (Progr. Guben 1830) „Ueber d. Verhältnis, i. w. Pl. M. z. d. Epit. d. Lys. steht"; cf. V. Loers „quae ratio inter Pl. M. et laud. L. intercedat" (Trier 1846); Krueger l. c. I, 238 sqq.

2) Cf. Hirzel l. c. I p. 182; Krueger l. c.

Athenarum — ipsa perspecta contione tangam. Ad eam priusquam accedam, quaestio exoritur, quando composita sit oratio. Nihil quidem certi de hac re[1]); post Antalcidae pacem i. e. post annum 387 confectum opusculum esse constat; post Isocratis Panegyricum quoque credam, quia multi loci ex eo manasse videntur. Sed ipsius orationis partes inspiciamus[2]).

In prooemio Socrates, quem loquentem Plato fecit, declarat 236 D-237 B
ut re, ita verbo secundum legem mortuos honorandos esse; non mirum, quod hic deest illa Thucydidis modestia (II, 35) dicentis difficile esse tali muneri satisfacere, quippe quod Socrates in sermonis parte facile esse Athenienses inter Athenienses laudare gloriatus est. Dilucidam capitum collocationem[3]) orator praemisit: „δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς 236 E
λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ξῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται, ἐκγόνοις μὲν καὶ ἀδελφοῖς μιμεῖσθαι τὴν τῶνδε ἀρετὴν παρακελευόμενος, πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος“. Deinde etiam in tres partes dividit laudem „τὴν 237 A—B
εὐγένειαν .... πρῶτον ἐγκωμιάζωμεν, δεύτερον δὲ τροφήν τε καὶ παιδείαν, ἐπὶ δὲ τούτοις τὴν τῶν ἔργων πρᾶξιν ἐπιδείξωμεν“[4]). Tum origo Atheniensium effertur: „αὐτόχθονας“ eos esse[5]), matrem habere ipsam terram; unde terrae ac patriae laudem oriri necesse esse 237 C-238 B
ex duabus rationibus: certamen de terra factum testimonio esse eam a diis dilectam esse et primum non feras procreavisse sed prudentissima animalia, homines eosque Athenien-

1) Cf. Ueberweg, Untersuch. ü. d. Echtheit u. Zeitfolge Platon. Schriften, p. 220/21.

2) De sermonis parte diligentissime iam disseruerunt Roch et Berndt, qui etiam ut Wendland (quorum libros attuli p. 37 annot. 3 h. l.) de Socratis persona multa exposuerunt.

3) Ut Berndt (l. c.) recte animadvertit similiter atque in convivio (194 E) „βούλομαι πρῶτον μὲν εἰπεῖν ὡς χρή με εἰπεῖν“, ubi haec verba sunt Agathonis, Gorgiae discipuli.

4) Thucydides civitatis laudem sic dividit; cf. p. 33 h. l.

5) Thucydides indigenas eos extollit cf. p. 33 h. l.; Isocr. Paneg. 24.

sium maiores. Dein orator explicat, quod mater fuisset terra, eorum nutrimenta (*τὸν τῶν πυρῶν καὶ κριθῶν καρπὸν*“ — et postea donum illud, „*πόνων ἀρωγὴν*“, i. e. oleum) et educationem diis ipsis magistris eam illis praebuisse[1]); unde
238C-239A optimam rei publicae formam maiores constituisse haud mirum esse; quocumque nomine appelletur, eam re vera esse optimorum dominationem; qua explicatione decedere videtur orator a Thucydidis sententia, sed interpretatur sic „*βασιλεῖς μὲν γὰρ ἀεὶ ἡμῖν εἰσίν· οὗτοι δὲ τότε μὲν ἐκ γένους, τότε δὲ αἱρετοί· ἐγκρατὲς δὲ τῆς πόλεως τὰ πολλὰ τὸ πλῆθος . . . .*“ fundamenta talis liberae rei publicae esse *τὴν ἰσογονίαν καὶ τὴν ἰσονομίαν*. Ita civitate optime instituta maximas res
239B gestas esse dicens Plato transit ad factorum praedicationem; fabulas — bella contra Eumolpum[2]), contra Amazonas suscepta, pietatem ac religionem septem Argivis (contra Thebanos) praestitam, praesidium Herculis filiis praebitum (nam eam materiam poetis[3]) concedit) — celeriter atque eleganter
239E-242A attingit acturus iam de rebus bellis Persarum gestis. Regum Persarum potentiam, ingentes copias, quibus ad Graeciam appulerint, describit et praedicat longiore narratione victorias ad Marathona, ad Artemisium et Salamina, ad Plataeas reportatas; alia proelia, pugnam ad Eurymedontem commissam, expeditiones in Cyprum insulam, in Aegyptum factas tangit. Quibus factis Athenienses summam auctoritatem ac
242A-242C dignitatem assecutos in invidiam incidisse, unde enata essent bella Graecorum contra ipsos Graecos, declarat eaque percurrit omissis, ut in laudatione, Atheniensium vitiis et calamitatibus. Primos Athenienses contra Graecos pro Graecorum libertate pugnavisse bello Boeotico demonstrans transgreditur
242C-243D orator ad bellum Peloponnesiacum tangendum; eius et in

---

1) „*ὧν τὰ μὲν ὀνόματα πρέπει ἐν τῷ τοιῷδε ἐᾶν*“, id quod pietatis et religionis lex fuisse videtur; Himerius, ut postea videbimus, omnes enumerat et nomine appellat, quia illa verecundia iam evanuit.

2) Cf. Isocr. Paneg. 68 et Panath. 193; de sequenti laudationis ordine iam apud Herodotum servato in fine huius capitis agetur.

3) Cf. Thucyd. II, 41, 4; facta non fabulosa uterque orator putat se melius quam poetas laudare posse.

priore et posteriore parte — significatur miserrima illa in Siciliam expeditio — generosissimos, fortissimos, constantissimos Athenienses sese praebuisse; post illa bellum civile et bellum 243E-245E
Corinthium usque ad Antalcidae pacem exponit non desinens repetere omnes pugnas et labores amore et studio libertatis commotos subiisse Athenienses. Haec summa et comprehensio modo rerum. Laude communi mortuorum brevissime tacta 245E-246B
orator transgreditur ad alteram partem, qua „παραινέσειν“ vult vivos (236 E), quae quidem in duo separata est capita, in adhortationem et consolationem. Ac primum occisos ipsos 246D-248D
alloquentes inducit filios: se ipsos exempla virtutum dignis et severis verbis filiis proponunt eosque admonent, ut se imitentur suamque fortitudinem et gloriam adaequent dedecusque vitent. At hic quidem aliquid immortalitatis spei interlucere videtur [1]) mortuis praenuntiantibus: „καὶ ἐὰν μὲν ταῦτα ἐπιτηδεύσητε, φίλοι παρὰ φίλους ἡμᾶς ἀφίξεσθε“ (247C): sed inferos intellegere Platonem [2]) puto (non suam animae immortalitatem). Tum loquentes se vertunt ad parentes relictos eosque consolantur et adhortantur, repulsa similiter atque apud Thucydidem lamentatione [3]): memores sint se mortales sed bonos et fortes filios genuisse; dignitate atque aequitate ferant calamitatem, abstineant nimio luctu et dolore, solatium sibi quaerant ex cura uxorum et liberorum superstitum; civitatem monent, ut consulat senibus atque infantibus.

---

1) Id quod animadvertit Berndt l. c.; sed communis locutio mihi videtur esse non propria Platonis.

2) Cf. Plat. Apol. c. 41; quo ex fonte hauriens postea Hyperides describit, quo modo inferi acceperint et salutaverint viros fortes. (Hyp. epit. ed. Blass § 35).

3) 247 C: χρὴ παραμυθεῖσθαι (πατέρας καὶ μητέρας ...) καὶ μὴ ξυνοδύρεσθαι (Thuc. II, 44, 1: τοὺς τοκέας ... οὐκ ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ παραμυθήσομαι) et (248 B) δεόμεθα ... εἰδέναι, ὅτι οὐ θρηνοῦντες οὐδὲ ὀλοφυρόμενοι ἡμᾶς ἡμῖν μάλιστα χαριοῦνται, ἀλλ' εἴ τις ἔστι τοῖς τετελευτηκόσιν αἴσθησις τῶν ζώντων, οὕτως ἀχάριστοι εἶεν ἂν μάλιστα ...; hoc moderate dictum (εἴ τις αἴσθησις ἔστι) reperimus etiam Apolog. c. 40; legg. 927 A; Isocr. Euag. 2, 1; Hyperid. (Stob. flor.) 124. Cf. Cicero ep. ad fam. IV, 5, 6.

Hactenus militum allocutio; tum addit suam orator ad-
248E-249C hortationem et consolationem. Eaedem fere sunt sententiae quae praecedentes; maiore vi solatii causa commemorat Plato civium curam in superstites habendam honoresque, quibus
249B mortui afficiantur; nam civitas „*αὐτοὺς δὲ τοὺς τελευτήσαντας τιμῶσα οὐδέποτε ἐκλείπει, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν αὐτὴ τὰ νομιζόμενα ποιοῦσα κοινῇ πᾶσιν, ἅπερ ἰδίᾳ ἑκάστῳ ἴδια γίγνεται, πρὸς δὲ τούτοις ἀγῶνας γυμνικοὺς καὶ ἱππικοὺς τιθεῖσα καὶ μουσικῆς πάσης . . .*“ Haec verba supplementa prioris partis libelli praebent (p. 20): Platonis temporibus et post bellum Corinthium pacemque Antalcidae, i. e. p. a. 387 „Epitaphia“ illa, quae quotannis ludis adhibitis committebantur, iam certa constitutaque erant [1]). Sed redeamus ad finem orationis: rursus hortatur orator, ut aequo animo ferant amissionem suorum superstites et claudit formula simili qua Pericles [2]) utebatur „*νῦν δὲ ἤδη ὑμεῖς τε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες κοινῇ κατὰ τὸν νόμον τοὺς τετελευτηκότας ἀπολοφυράμενοι ἄπιτε*“.

Hac in oratione dilucidam et claram dispositionem partium distinguere possumus, quae sunt: I. laudes, II. admonitiones et consolationes ipsis mortuis attributae, III. admonitio et consolatio oratoris, IV. conclusio. Nonnulla de singulis partibus addere debeo. Integrum solitum prooemium dialogi parte praecunte deesse iam dixi: dispositio praemissa in eius locum successit. Laudes acriter secernuntur sic: laus originis, laus patriae, laus civitatis et legum, laus rerum gestarum. Thucydides, ut rerum scriptor, laudationi civitatis et legum maiorem concessit locum; haec brevior apud Platonem, longior praeteritorum praedicatio, quam superbum praesente statu Periclem praetermittentem fecit Thucydides. Neque omittit fabulas Plato: iam firmam doctri-
De Herodoti laude Atheniensium. nam oratores tenuisse Atheniensium laudandorum comparato Herodoti libro cognovimus: Herodotus [3]) enim legatis (7, 161)

1) Cf. p. 19—21 h. l.

2) Cf. Thucyd. II, 46, 2: „*νῦν δὲ ἀπολοφυράμενοι ὃν προσήκει ἑκάστῳ ἄπιτε*“.

3) Cf. E. Meyer, Forschung. II p. 219 sqq., quem Georg. Wissowa de hac ratione docuit; quam Iac. Burckhardt quoque (Griech. Kulturgesch. IV p. 183 sq.) animadvertit.

de principatu certantibus Atheniensem praedicantem facit solos Athenienses indigenas [1]) esse, et postea (Her. 9, 27) Tegeatis et Atheniensibus ante pugnam Plataeensem rixantibus, cum ambo in acie sibi sinistrum cornu vindicarent, Athenienses gloriantes inducit sese et Herculis liberos tutatos esse et Eurysthei superbiam punivisse et septem Argivorum sepulturam Thebanis invitis confecisse et Amazones vicisse et bello Troiano se fortissime gessisse atque ad Marathona a Persis victoriam reportasse. Haec omnia argumenta [2]) maiorum laudationis excepto bello Troiano, quod quidem alio modo attulisse Periclem in Samia oratione vidimus et quod posteriores oratores item non neglexerunt. Sed revertatur sermo ad Menexeni sententiarum collocationem. Quantum in descriptione rerum vere gestarum a veritate aberraverit, historicorum est inquirere; non autem obliviscendum est hac in parte Platonem maxime extra fines suos vagatum esse omniaque secundum propositum ad Atheniensium emolumentum vertere debuisse; cur tantum tribuat spatii bellis narrandis et praedicandis facile intellectu est: oratorum suae aetatis usui se accommodat, qui opibus pristinis labefactis bacchantur in amissa magnificentia atque auctoritate eo vividius et splendidius describenda, ut eius recordatione animos audientium efferant memoriamque praesentis aetatis haud ita laetae obscurent [3]). Quod attinet ad consolationis atque admonitionis

De Menexeni dispositione.

1) Opinionem (fortasse audaciorem) proferre audeam: Herodotus priorem Periclis Samiam orationem funebrem audivisse videtur; verisimile est laudem Atheniensium indigenarum tum solitam esse dici, cum eam in altera oratione assumpsit Thucydides (nam hunc locum fingendae veritatis causa praetermittere non debebat); haec sententia, ubi in mentem venit Herodoti, alterius quoque reminiscebatur, i. e. comparationis iuventutis cum vere, eamque statim opposuit in sequente Gelonis responsione, haud ita apto loco.

2) Quae argumenta summa dicendi arte exornavit Isocrates in laude Athenarum, quam inscripsit „*Παναθηναϊκός*“, quod opus in posterum exemplar urbis praedicandae fuisse constat; quod Platoni quoque, cum illa aetate Isocrates eloquentiae gloria floreret, ante oculos quidem versatum esse mihi videtur.

3) Usum illum Demosthenes sic reprehendit (14. 1): „*οἱ μὲν ἐπαινοῦντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς προγόνους ὑμῶν, λόγον εἰπεῖν*

partes, quas rerum scriptor pro proposito celeriter percurrebat, in iis Plato pro sua natura diutius haesit. Ipsos mortuos loquentes inducere potuit, quia omnino ficti erant. Plenae hae partes gravitatis et severitatis sunt; philosophiam Platonicam, id quod dixi, olere nequeunt utpote in contione populari. At dignae sunt, quae quotannis publice recitentur. Mos Christiano ingenio accommodatus est: diebus enim, qui martyrum sacri erant, in ecclesia commentarii illi de vita et morte martyrum scripta, quae vocantur *μαρτύρια*, quotannis recitabantur [1]); sensus idem: illic milites patriae, hic milites ecclesiae — illi pro libertate, hi pro fide mortui — celebrabantur eos honorandi, posteros ad imitationem incitandi causa.

De Euripidis Supplicibus.

Antequam ad alias eius aetatis orationes progrediar, excursionem, quam commodioris comparationis causa distuli, in tragoediam factura sum. Euripidis Supplices enim attingam, quam tragoediam Wilamowitz [2]) rectissime epitaphium tragicum declarat eodemque paene sensu Aristophanes grammaticus iam dixit „*τὸ δὲ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν*“ [3]). Athenienses, qui iura mortuorum defendunt ac tutantur, hac tragoedia celebrantur; quas virtutes Aeschylus quoque prae-

---

μοι δοκοῦσιν κεχαρισμένον, οὐ μὴν συμφέροντά γ' ἐκείνοις οἷς ἐγκωμιάζουσι ποιεῖν“ κ.τ.λ. Atque simili modo Neograeci antiquorum Graecorum gloria utuntur ad suas ipsorum miserias velandas. (cf. Westermann l. c. p. 48.) Pariter celebrabant Klopstock aliique illius temporis Germani poetae antiquos Germanos Germania ipsa discissa et carente potestate atque imperio.

1) Cf. Christ, Griech. Lit. Gesch. (4. Aufl.) p. 957: rationes, quae iis et laudationibus antiquis intercedant, suo libello inquirere operae pretium esse aestimem.

2) Wilamowitz, Griech. Tragoed. (Uebers.) Bd. I, Einleitung p. 206.

3) Arg. Suppl. ed. Wecklein p. 3; aliae tragoediae, in quibus Athenarum laudes proferuntur, — ut Medeam, Heracl. et prius Oedip. Col. exempli causa nominem, — hoc loco tractari nequeunt; nec versari possum in
V. 941—943. Rheso tragoedia, quamquam tacta Athenarum, Musarum urbis laus est,
V. 915—950. quia Musae oratio mihi videtur esse lamentatio sola iam poste-
V. 948—949. rioris temporis respectis extremis verbis „*καὶ τῶνδε μισθὸν παῖδ' ἔχουσ' ἐν ἀγκάλαις θρηνῶ· σοφίστην δ' ἄλλον οὐκ ἐπάξομαι*“. Cf. Musgrave II p. 412.

dicavit tragoedia, quae „*Ἐλευσίνιοι*“ inscripta erat[1]); sed amissa est. Euripidis tragoedia in scaenam producta est a. 421 vel 420; quod tragoediae forma tractavit poeta hanc materiam, testimonio est illo tempore floruisse morem. Pernota fabulae capita sunt: Adrastus a Theseo petit auxilium, ut Thebanos mortuos tradere cogat; Theseus ei obsequitur ipseque illos vicit occisosque principes sepeliendos curat: sic occasio datur totius sollemnium funerum pompae adhibendae. Nec quamquam in principes alterius civitatis laudatio habetur, Athenarum solita praedicatio deest; in chori precatione appellatur Atheniensium virtus infirmos adiuvandi, iustitiam tutandi his versibus:

ἄμυνε ματρί, πόλις, ἄμυνε, Παλλάδος, V. 377—380.
νόμους βροτῶν μὴ μαίνειν.
σύ τοι σέβεις δίκαν, τὸ δ' ἧσσον ἀδικίᾳ
νέμουσ' ἧσσον δυστυχῆ πάντα ῥύῃ.

et in sequente disceptatione cum praecone Thebanorum inita liberam Theseus rem publicam sic laudat:

πρῶτον μὲν ἦρξω τοῦ λόγου ψευδῶς, ξένε, V. 403—408.
ζητῶν τύραννον ἐνθάδ'· οὐ γὰρ ἄρχεται
ἑνὸς πρὸς ἀνδρός, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
δῆμος δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
ἐνιαυσίαισιν, οὐχὶ τῷ πλούτῳ διδοὺς
τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ χὠ πένης ἔχων ἴσον;

eamque sententiam pluribus explicat v. 429 sqq.[2]) et postea (v. 537), quam gravia officia in mortuos habenda sint, ostendit. Tum postquam principes occisos, qui afferebantur, matres miseratae sunt, Theseus Adrastum, ut profiteatur laudem mortuorum, incitat; sed quid quod hoc munus Argivo civi deferat? at Theseus Atheniensis, cum orationem in peregrinos dicere noluerit, duci eorum hunc honorem per interrogationem sic mandat:

---

1) Opiniones, quas de hac tragoedia et de institutione ipsius orationis Heauvette fovet quibusque Wilamowitz favet, iam tetigi p. 22 h. l.

2) V. 447/9 subaudiri Periclis illa iuventutis cum vere comparatio potest:

πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἰσχυρὰ πόλις,
ὅταν τις ὡς λειμῶνος ἠρινοῦ στάχυν
τόλμας ἀφαιρῇ κἀπολωτίζῃ νέων;

V. 838—840. *(μέλλων σ' ἐρωτᾶν) ... νῦν δ' Ἄδραστον ἱστορῶ·*
V. 841—843. *πόθεν ποθ' οἵδε διαπρεπεῖς εὐψυχίᾳ*
θνητῶν ἔφυσαν; εἰπέ γ' ὡς προφέρτερος
νέοισιν ἀστῶν τῶνδ'· ἐπιστήμων γὰρ εἶ.

Adrastus ergo non sollemnem laudationem habere sed Theseo modo respondere eiusque imperiis obsequi videtur; neque militum universitatis honorandae causa sed sociorum praedicandorum gratia verba facit. Hoc eleganti modo Euripides legem moremque vere Atheniensem non offendit voluntatibusque audientium, qui laudationem in publica pompa desiderabant, satisfecit. Adrastus ergo:

V. 857—859. *ἄκουε δὴ νῦν*, inquit, *καὶ γὰρ οὐκ ἄκοντί μοι*
δίδως ἔπαινον[1] *τῶνδ', ἐγώ τε βούλομαι*
φίλων ἀληθῆ καὶ δίκαι' εἰπεῖν πέρι.

V. 860—906. Tum singulorum ducum virtutes praedicat, ut iam Musgrave (II, p. 366) animadvertit, in iis laudandis nobilium Atheniensium vitam et mores effingens; effert eorum modestiam et temperantiam, fidem, quam in amicos praestiterint, veritatem, aequitatem, innocentiam, iustitiam, fortitudinem, constantiam singulis attribuens singulas virtutes sed in universum, id quod persuasum mihi habeo, imitatus illam Gorgiae[2] omnium mortuorum laudem. quae ratio novum argumentum Gorgianae declamationis inter annos 426—21 praefiniendae mihi videtur esse[3]. Vestigium laudis educationis invenimus in versibus 911—916 sic incipiens:

V. 911. *τὸ γὰρ τραφῆναι μὴ κακῶς αἰδῶ φέρει*

et postremo ei brevis coniuncta haec admonitio (v. 917) „*οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε*“, quam quidem in filios directam Minerva repetit (v. 1213—1226); nam etiamsi Theseus alloquatur Adrastum et matres, tamen eos, ut grato animo in Athenienses sint, adhortatur, ut hos versus orationis funebris partem interpretari nobis non liceat. Quod lamentationes et parentum et liberorum, quas personas Thucydides et Plato respiciunt, magnum occupant locum (v. 955–989; 1080–1164), consolatio suam non

1) Cf. Musgrave II p. 365, qui sequentem quoque laudationem ad imaginem epitaphiorum fictam esse dicit.

2) Cf. p. 27 h. l.

3) Cf. p. 26 h. l.

tenet partem. tragoediae forma fundari censeo; nam sepultura sollemnis per Theseum atque Athenienses petita et confecta solatium continet. Argumenta ergo Periclis et Gorgiae epitaphiorum in hac tragoedia agnoscere possumus: laudem urbis, laudem mortuorum, lamentationem (quam Samia oratione Periclem adhibuisse videri dixi), adhortationem. Quo Euripides ea fabula in scaenam producta tetenderit, Wilamowitz [1]) verisimilem explicationem habet: post pugnam Deliam (424) Thebanos mortuos sepeliendos Atheniensibus tradere noluisse, quam sancti iuris offensionem poeta significare civesque ad pacem admonere (cf. v. 747 et 950 sq.) voluerit. Sed cum lineamenta modo tragoediae adumbrare mihi proposuerim, redeat, unde digressus est, sermo ad orationem solutam; et post Platonis Menexenum, Lysiae quae fertur oratio, percurratur.

De Lysiae quae attribuitur oratione.

Hoc quoque loco primum de auctore quaerendum nobis est. Lysiam laudationes funebres scripsisse, ut exempla daret discipulis, negari antiquis testibus exstantibus [2]) non potest, eas non publice habuisse eo apparet, quod civis Atheniensis non erat. Sed quae oratio eius nomine tradita est, re vera Lysiam composuisse nego; nam antiqui testes nominant plerique *ἐπιταφίους λόγους*; non hanc unam spectant; non me fugit Pseudodionysium et Theonem (v. not. 2) eius nomen referre et Harpocrationem Lysiam auctorem firmare verbo „*Γεράνεια*“; sed hic unus certe traditam Lysiae nomine orationem spectat; quem locum Aristoteles (Rhet. 3,10) laudat, eum me potius attribuere Gorgiae epitaphio suo loco exposui [3]). Contra illud Harpocrationis testimonium stat silentium Dionysi Halic. in iudicio de Lysia

1) L. c. p. 209/10.

2) Ps. Plut. (de vit. X orat.) p. 836a „*εἰσὶ δ' αὐτῷ ... καὶ ἐγκώμια καὶ ἐπιτάφιοι*“ ... Cf. Phot. bibl. cod. 262 p. 488b 14. Suidas v. Lysias: *ἔγραψε δὲ καὶ τέχνας ῥητορικὰς καὶ δημηγορίας, ἐγκώμιά τε καὶ ἐπιταφίους*. Exempli causa eius nomen affert Pseudodionys. (ars rhet. 6, 1) Theon (prog. 15); scholiasta ad Pseudodemosth. orat. animadvertit ad verbum *πρότερον* (§ 10): „*τὸν Λυσίαν λέγει· αὐτὸς γὰρ ἐπιτάφιον εἰς αὐτοὺς ἐποίησεν*“. Hic quidem in priorum auctoritate nititur.

3) Cf. p. 28 sq. h. l.

lato; non puto, si vera exstitisset Lysiae laudatio funebris, de ea omnino non iudicaturum fuisse Dionysium. Nec laudationis tumidum genus dicendi Lysiae esse concedo. Sed quid quod Tacitus alteram loquendi artem adhibuit in libris historicis, alteram in libro illo, qui inscribitur „dialogus de oratoribus"? At e duobus operibus, quamvis magna sit diversitas scribendi generis, facultas et vis dicendi Taciti elucet; nec in Platonis Menexeno omnino Platonis ars desideratur. Sed haec oratio, etiamsi Lysias sententias, quae epitaphiis inesse solebant, neglegere non potuisset demonstrativique generis dicendi ubertati sese accommodasset, tamen in dispositione et collocatione tantum abest — id quod examinabimus — a Lysiae claritatis et simplicitatis modo et usu, ut cum iis, qui subditam declarent orationem, consentiam, in quibus sunt Fr. A. Wolf, Blass, Norden [1]), orationem exercitationem rhetoricam esse iudicantes, quamquam genuinam eam esse censent Westermann, I. Girard, Kluegmann, Maass, Caffiaux, Le Beau [2]). Menexenum spectare ad hanc orationem iam negavi [3]); post Platonis opus scripta est maioreque e parte, qua in re sentio cum Buresch (l. c.), pendet e Menexeno [4]); sed auctor omnibus rationibus Platonem non imitatus est; nam similis omnium epitaphiorum materia erat. Altera autem nascitur quaestio, utrum Isocratis Panegyricum imitatus sit Pseudolysias an Isocrates [5]) eius opusculum

---

1) Wolf ad Lept. p. 365; Blass l. c. II p. 443 et III, 2 p. 339; Norden l. c. p. 138; Buresch l. c. p. 90/91; Chaillet l. c. p. 33 sq.; Hoelscher, de vita et scriptis Lysiae (dissert. Berl. 1837).

2) Westermann l. c. p. 32—35; Girard (Rév. archéol. 23); Kluegmann (de Amazonibus); Maass (Hermes 22 p. 573); Caffiaux l. c. p. 70, qui epitaphium perfectissimum nominat; Le Beau, Lysias Epitaphius als echt erwiesen (Stuttgart 1863), contra quem Chaillet p. 35 l. c. disputat.

3) V. p. 36 h. l.

4) Cf. Schönborn, Ueber das Verhältnis, in welchem Platons Menexenus zu dem Epit. d. Lysias steht (Progr. Guben 1830); Roch l. c. (p. 37 annot. 3 h. l.).

5) Cf. Chaillet l. c. p. 48 sq.; Wolf, Hoelscher, Blass quoque Isocratem, Lysiae quae fertur, orationem respexisse negant.

quodquidem hic diiudicari non potest; eadem, quae de Platonis Menexeno dixi, valent; hunc autem cum arbitror post Panegyricum Isocratis scriptum esse [1]), tum Pseudolysiae laudationem eodem fere tempore confectam esse necesse est; nam Isocratem ex eius modi exercitatione oratoria pendere haud ita verisimile puto, praesertim cum materia Athenarum laudandarum iam ab Herodoto data sit. Atque illo tempore pervulgati loci illi laudationum erant, ut facile oratores nulla ratione inter eos intercedente eosdem praeberent. Restat, ut de tempore declamationis pauca addam. Inscripta est oratio „ἐπιτάφιος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς"; itaque fingitur in honorem eorum habita, qui bello Corinthio 387 a. Chr. auxilio missi Corinthiis mortem occubuerant; sed certam pugnam et occasionem ex oratione intellegere nequeo; communis est laus mortuorum; pugnae ad Coroneam factae et pacis Antalcidae mentio non fit; post Platonis Menexenum modo epitaphium compositum esse, inter annos 380—321, (a. 321, quo anno Hyperides orationem habuit) concedere licet.

His propositis ipsam orationem inspiciamus.

In prooemio orator magnitudinem rei pro infirmis suis viribus exprimit [2]) et transit in laudem maiorum, quos primos praedicare debeat carminibus, laudibus, educatis ad eorum exemplum liberis. Fabulas deinceps easdem quas Plato omisso modo Eumolpi nomine narrat magna verborum insolentia et abundantia, qua caret Menexenus, eas exaggerans inserensque laudem morum Atheniensium (§ 14). Eorum praedicationi atque bellorum gestorum interponit laudem civitatis repetens tritam illam sententiam: (Athenienses) „αὐτόχθονες ὄντες τὴν αὐτὴν ἐκέκτηντο μητέρα καὶ πατρίδα" (cf. Menex. 237 B et E) et efferens liberam rem publicam virtutibus

§ 1—2. 3. 4—16. 17—19.

1) V. p. 39 et 43 h. l.

2) Id quod Plato pro proposito omittere debebat; locum communem epitaphiorum fuisse arbitror illum: civitatem breve tempus praeparandi dedisse, quia ne longissimum quidem suffecisset talibus rebus praedicandis; quem in usum Platonem invectum esse videri dixi (cf. p. 38 h. l.); cf. Thuc. II, 35; Pseudodemosth. § 1; Hyp. § 2.

19. civium sic partitis: „(ἡγησάμενοι) ἀνθρώποις δὲ προσήκειν (I) νόμῳ μὲν ὁρίσαι τὸ δίκαιον, (II) λόγῳ δὲ πεῖσαι, (III) ἔργῳ δὲ τούτοις ὑπηρετεῖν . . . .“ Deinde revertitur ad laudem
20—48. rerum gestarum atque exspatiatur in bella cum Persis conflicta; ut Plato describit Persarum copias, victoriam ad Marathona reportatam virtute et fortitudine Atheniensium in caelum elata, Xerxis superbiam [1]), proelia ad Artemisium et ad Thermopylas commissa commemorata Lacedaemoniorum virtute, consilium fortissimum urbis relinquendae, pugnam Salaminiam victoriamque summa contentione partam, victoriam Plataeensem controversia de muris exstruendis composita; his factis dignos Athenienses fuisse, qui essent „ἡγεμόνες τῆς
48—54. Ἑλλάδος“. Tum bella Graecorum contra Graecos breviter tanguntur, illud maxime cum Aeginetis commissum; virtus puerorum et senum ad Geraneiam exhibita celebratur; deinde
54. orator se unius dici spatio omnes res felicissime gestas enumerare posse negans transit ad laudem Atheniensium
55—57. principum, qui socios tutentur, τὸ ἴσον servent, infirmos validos reddant, ut rex eos aggredi non audeat; in calamitatibus autem quantam constantiam eos praestitisse! [2]) Res
58—61. adversas caute hic attingit, celeriter se vertit ad laudem
61—65. exulum, qui reversi patriae libertatem restituerint; cui applicat auctor, id quod proprium est huius orationis, praedicationem mercennariorum, qui cum pro Athenis mortui essent, eosdem quos Athenienses honores assecuti sint. Sequitur
67—70. denique brevis mortuorum laus, — sed nulla certae pugnae significatio adest — quorum fortitudo et humanitas tanta fuerit, ut vellent „καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν πολεμίων ἐλευθερίας ἀποθνήσκειν“ (quae sententia paene congruit Christianorum doctrinae morali); occisi autem sunt virorum fortissimorum ritu sanguinem profundentes; brevissima admonitio
69. annexa est: „οὗτοι δὲ καὶ ζῶντες καὶ ἀποθανόντες ζηλωτοί“.

---

1) (29) „(Ξέρξης) ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω“, quae animadversio redit ad Herodotum (VII, 21 sq.), ut sequentes quoque descriptiones bellorum cum Persis gestorum.

2) De sententia § 60 in capite de Gorgia scripto iam egi (v. p. 28 h. l.).

Iam laudi lamentationem coniungit orator: talium hominum luctum atque desiderium maximum esse debere, ut iure misereturet lamentetur orator superstites. Quantam iacturam acceperint patres, matres, liberi, fratres depingit et suadet, ut cives eorum dolorem leniant in mortuorum locum succedentes iisque hoc modo gratias referentes. E lamentis orator se vertit deinde ad breve solamen: omnibus hominibus moriendum esse [1]); eos, qui pulcherrimam pro patria mortem 78—81.
obierint, vacantes morbo et senectute beatissimos potius praedicandos quam miserandos esse, praesertim cum immortalem gloriam, honores ab omnibus hominibus sibi comparaverint; nam ut deos eos quoque ludis celebrari. Attamen patria lege [2]) cives lamentari mortuos debere ubi dixit orator, 81.
finem imponit declamationi.

Comprehendamus capita; sunt enim haec: prooemium, laus fabularum, laus civitatis et patriae, laus rerum bello gestarum interposita laude Atheniensium morum, laus mercennariorum, laus militum, lamentatio, consolatio, beatitudinis praedicatio; sed haud ita accurate distinctae sunt partes ut in Menexeno, in quo lamentatio desideratur. Et cum iam illic longa sit laudatio praeteritarum rerum, longior hic; videtur auctor demonstrare voluisse, quanta scientia rerum historicarum imbutus sit, sed sese implicuit copia atque abundantia; laudem civitatis non suo loco ponit sed, tamquam si eius oblitus sit, postponit eam fabulis. Studio nullius rei neglegendae adductus ne mercennariorum quidem laudem [3]) praeterit nec Lacedaemoniorum virtutem, quam in Athenarum laude proferri alienum est;

1) Non facio cum Friderico Blass (l. c. I p. 436) contendente partem admonitionis omnino deesse (v. finem p. 50 h. l.) et partem consolationis paene solam lamentationem fieri.

2) Hic puto eum rhetorum more fungi; concludit enim orationem sic: „ὅμως δ' ἀνάγκη τοῖς ἀρχαίοις ἔθεσι χρῆσθαι, καὶ θεραπεύοντες τὸν πάτριον νόμον ὀλοφύρεσθαι τοὺς θαπτομένους“ cf. Thuc. II, 46, 2; Plat. Menex. 249 C (p. 34 et p. 42 h. l.).

3) Le Beau l. c. hoc argumento utitur ad firmandam opinionem Lysiam auctorem esse; quod ipse non civis fuisset, propterea eum non oblitum esse peregrinorum; optime eum refellit Chaillet l. c.; ac certe in Atheniensium laudatione praedicationem conductorum militum non priorem posuisset.

laudem vero conductorum praeponit Atheniensium praedica-
69. tioni; quanta timiditate attingit modo partem adhortativam dicens vitam et mortem interfectorum imitanda esse et miscet partes lamentationis et consolationis haud ita idoneo modo! Fortasse auctor declamationis exemplar dare volebat ad diversas occasiones aptum: si mercennarii eciderant, locus ille adhiberi debebat; si opus erat lamentatione, praesto erat; ex copia rerum gestarum pro suo quisque orator gustu apta eligere poterat. Sed utut res se habet, Lysia dignum opus non est, qui non hoc modo deseruerit suam simplicem claramque rationem. Discipuli exercitatio est oratio [1]). Itaque eam missam faciamus.

Priusquam alteram publicam orationem perlustremus, primum privatae laudationis exemplar respicere mea inter-
De Isocratis Euagora. est. Oratio quidem non est, sed epistola adhortativa [2]) ad Nicoclem, Euagorae regis, qui c. a. 374 occisus est, filium directa; attamen quod post ipsa funera Euagorae honorisque mortui gratia ficta est, ad publicum genus proxime accedit. Ipse Isocrates novum significat genus: (§ 8) „οἶδα μὲν οὖν", inquit, „ὅτι χαλεπόν ἐστιν, ὃ μέλλω ποιεῖν, ἀνδρὸς ἀρετὴν διὰ λόγων ἐγκωμιάζειν". Quando composuerit librum, incertum est; sed eum confecisse ante a. 351, quo anno Theopompus eius discipulus in funeribus Mausoli regis de palma eloquentiae certavit, Isocratem, inventorem laudis privatae, pro certo habemus; ipse [3]) indicat sese scripsisse orationem provectum longius aetate, ut Blass [4]) censet circiter annum 370; mihi quoque verisimile videtur haud ita multo post Euagorae mortem opus exortum esse. Sed iam ipsam
§ 1—11. formam et collocationem partium orationis perlustremus.

In prooemio viros illustres laudatione factorum quam splendidissima funerum pompa malle celebrari, quod sola

1) Lysiae prudentia indignae complures sententiae reperiri possunt: velut (§ 68) Peloponnesiacis serviendum esse Lacedaemoniis; (§ 69): mortem optabilem esse; cf. Chaillet l. c. p. 38 et Meuss, Vorstell. vom Dasein nach d. Tode (Fleckeisens Jahrb. 35, Jahrg. 1889 p. 804); scholam rhetoricam olet hic flosculus (§ 69).

2) Cf. Westermann l. c. p. 39; Caffiaux l. c. p. 155; Buresch l. c. p. 89.

3) § 73: „ὑστερίζω τῆς ἀκμῆς τῆς ἐμαυτοῦ".

4) L. c. II p. 246 et p. 260.

oratio immortalem reddat viri gloriam, Isocrates exponit; attamen novum esse conatum, cum nemodum aequales efferre laude ausus sit, sed omnes adhuc invidia deterriti sint; sese primum eam pronuntiaturum esse (quae verba maximi momenti attuli p. 52 h. l.), quamvis magnae difficultates poetarum operibus comparatis obstent: nam illis licere uti mythis et rythmis [1]). Unde laudem applicat originis et maiorum, qui 12—20.
prognati a diis summaque potentia fruiti reges Cypri bello Troiano eximia gloria parta, Salamine urbe condita, proditione regnum amiserint, praedicatque Euagoram infantem, puerum, iuvenem, virum: ominibus ante eum natum praeteritionis 21—29.
figura tactis narrat iam puerum praeditum fuisse virtutibus hominis vere Graeci, quae sint *κάλλος καὶ ῥώμη καὶ* 22.
σωφροσύνη, viroque accessisse *ἀνδρείαν*, *σοφίαν*, *δικαιοσύνην*; itaque non mirum eum excelluisse in omni vitae tempore bonis et corporis et animi (id quod longius exponit Isocrates; at alienum est a meo proposito singula omnia perlustrare); transit orator ad praedicationem rerum 30—40.
gestarum referens Euagoram summa contentione ac labore recuperasse regnum, id quod comparatione cum aliis tyrannis regibusque atque inprimis cum Cyro facta in clariore luce ponatur, ob eamque causam singulari laude dignum esse; inserit laudationem morum Euagorae in rebus gerendis, 41—46.
pietatis et fortitudinis in insula potiunda, prudentiae in rebus externis iudicandis et in aliis hominibus accipiendis, in vita 47—50.
atque usu, quibus principis virtutibus crevisset et aucta esset Salamis magnamque auctoritatem apud Graecos adepta esset; et confisos Euagorae magnanimitate multos Graecos in Cyprum 51—57.

---

1) Isocratem maxime spectare ad hymnos et Pindari „*ἐπινίκια*“, quae dicuntur, sagaciter demonstrat E. Conrotte in disputatione inscripta „Pindare et Isocrate, le lyrisme et l'éloge funèbre (Musée Belge 1898)“ p. 168—187, qui recte ad Isocratis propositum animadvertit (p. 170) „l'intention est formelle: à l'éloge lyrique il veut faire succéder l'éloge historique; à l'ode en vers, le discours en prose“ et (p. 175) „sans doute l'orateur ne cite pas le nom de Pindare, il se propose pour modèle le lyrisme en général“. De Isocrate poetarum aemulo cf. Br. Keil Anal. Isocr. p. 2sqq.

insulam confugisse, inter quos Conon Euagora, cui amicitia coniunctus erat, adiuvante Lacedaemoniis classe victis principatum ademisset rursusque ad Athenienses detulisset; qua occasione oblata Isocrates non obliviscitur praedicare Athenienses quoque ob generositatem, qua Euagoram et Cononem gratias
57—67. agentes honorassent; deinde pergit in laude factorum conciliata cum laude virtutis imperatoriae; pugnis cum rege Persarum ipso feliciter commissis dignum eum esse, qui fortissimis atque illustrissimis viris praeferatur [1]; tum virtutum capita summatim
67—70. repetit concludens inter deos Euagoram recipi oportere, cum
71—72. iam in terra beatissimus fuerit; nam: „*τί γὰρ ἀπέλιπεν εὐδαιμονίας*“; fortunam exornat orator Euagorae, qui homo aeternam reliquerit gloriam, morte celeri liberatus sit senectute ac morbo [2]), cui contigerit „*εὐπαιδίας τυχεῖν ἅμα καὶ πολυπαιδίας*“ [3]) (quae sententia vere Graeca est), ut poetae iure eum dicturi essent „*θέον ἐν ἀνθρώποις ἢ δαίμονα θνητόν*“ [4]).
73—81. Inde Isocrates transit ad perorationem, ubi, si quid omiserit, excusat senectutem et hanc patris imaginem oratione melius quam alio modo expressam adaequare ut studeat, admonet Nicoclem, cuius (et aliorum superstitum) adhortationis et consolationis gratia (nam hanc duplicem significationem hic verbum „*παράκλησις*“ mihi videtur habere) scripserit orationem; nam Euagorae progeniei non opus esse philosophorum exemplis. Finem incipit Isocrates Nicoclis laude et excusatione quadam, quia perfecto iam viro patris exemplar proponere non desinat; quem si imitari pergat, cito fieri eum „*τοιοῦτον, οἷόν σε προσήκει*“.

---

1) Hac in parte invenimus comparationem illam in scholis rhetoricis pertritam cum viris Troiani belli fortissimis, quae e natura rei ad emolumentum laudandorum fieri solet; eam iam Pericles affert in Samia oratione (cf. p. 30 h. l.), adhibet Hyperides, (§ 35) Pseudodemosth. (§ 10).

2) In laudibus summae felicitatis id ponit etiam Pseudolys. ep. § 78; caute ac prudenter Isocrates Euagoram necatum esse praeterit.

3) Quod abundanter laudat regiis honoribus omnes liberos affici adulationis causa facit; nam hoc repugnat moribus Atheniensium.

4) Cf. Rohde l. c. I p. 101.

Hae igitur partes epistolae sunt: prooemium, laus Euagorae eiusque rerum gestarum, repetitio virtutum, praedicatio fortunae, admonitio, peroratio. Laudem Euagorae originem, maiores, educationem, mores, virtutes, res gestas comprehendentem longe maiorem epistolae partem occupare, cum ipsi laudi omissa lamentatione [1]) et consolatione opus appropinquet [2]), haud magis mirum pro natura propositi, quam prooemium longius esse, quod novum genus inaugurat Isocrates. Habemus hoc in libello ordinem publicarum orationum ad singulos praedicandos praeparatum, ut optime censeat Croiset [3]) „C'est déjà l'oraison funèbre proprement dite, telle à peu près que les modernes ont continué de la pratiquer". At id tenendum: Isocrates non inducit orationes privatas habendas, modo laudes singulorum scribendas: ipse non ausus est civem Atheniensem hoc modo laudare et quae sequuntur laudationes non in Athenienses ipsos fictae et compositae sunt; post Christum natum demum privatus epitaphius suum tenet locum, sed magis in exercitationibus oratorum quam in usu et vita. Isocratis autem maxime valuisse auctoritatem ad hoc dicendi genus excolendum eumque quasi novam regionem patefecisse eiusque artis vestigia iam in publica laudatione funebri Hyperidis investigari posse cognoscemus. Nam scripsit brevi post Xenophon (si quidem Xenophontis opus est,) Agesilai laudationem [4]) et in Gryllum Xenophontis filium

1) Haec pars postea, quo minor erat mortuus, eo maior in orationibus privatis erat; v. Menandri praecepta (p. 10 h. l.) et Himerii lamentationem in filium (p. 81 h. l.).

2) Cf. Bruns, D. liter. Portr. d. Griechen im 5. und 4. Jahrh. (p. 115—126), qui omnia quoque, quae Athenarum gloriam diminuerint, oratorem omisisse refert (exempli causa silentio praeterit Atheniensis a. 386 Euagoram deseruisse).

3) Histoire d. l. Lit. Gr. IV p. 497.

4) Has meras laudationes privatas percurrere non in animo habeo; de Xenophontis Agesilao cf. Bruns l. c., qui acute Agesilaum Euagorae comparatum videri esse epistolam privatam ad exemplar rhetoris compositam existimat; de his laudibus singulorum iam scripserunt Bruns l. c. et Fr. Leo, Die griech.-röm. Biographie (1901) p. 85 sqq.

Diogenes Laert. permultos confectos esse epitaphios tradidit his verbis (II 55): „*φησὶ δ' Ἀριστοτέλης, ὅτι ἐγκώμια καὶ ἐπιτάφιον Γρύλλου μύριοι ὅσοι συνέγραψαν, τὸ μέρος καὶ τῷ πατρὶ χαριζόμενοι*“, inter quorum auctores enumerat Isocratem sic: „*ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου καὶ Ἰσοκράτην φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι*“. Isocratis autem discipulus palmam tulisse in certamine oratorum

De Theopompi laudatione.

a. 351 de Mausoli regis laude ab Artemisia instituto testatur Gellius (noct. Att. X, 18, 6): „ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theodectes, Naucrates; sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum his certavisse memoriae mandaverint, sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est; is fuit Isocratis discipulus. exstat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur Mausolus [1]). Nec, priusquam ad Hyperidis epitaphium accedamus, oblivisci

De Lycurgi adv. Leocr. orat. § 46—51.

debemus Lycurgum in oratione (a. 331) contra Leocratem composita praedicationem illorum, qui ad Chaeroneam ceciderant, adhibuisse [2]), id quod documento est viguisse et floruisse illa aetate laudationes, ut elucet e Lycurgi verbis (§ 46) „*ἔτι δὲ καὶ δίκαιον τὸν ἔπαινον, ὃς μόνος ἆθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστί, τοῦτον .... ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι τῆς πόλεως μὴ παραλείπειν*“; et sequitur caput orationis funebris i. e. laudatio occisorum; fortitudinem laudat orator consiliumque pro patriae libertate moriendi, qua de causa immortalem gloriam illi sibi adepti sint, quin

49. etiam victores ceciderint; nam „*ἃ γὰρ ἆθλα τοῦ πολέμου τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστίν, ἐλευθερία καὶ ἀρετή, ταῦτ' ἀμφότερα τοῖς τελευτήσασιν ὑπάρχει*“. Eorum cum vita Graeciae

50. libertatem evanuisse queritur orator sic: „*συνετάφη γὰρ τοῖς τούτων σώμασιν ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερία*“ [3]).

---

1) Opinionem Isocratem ipsum contendisse cum discipulo de palma refutat iam Suidas v. „*Θεοδέκτης*“ cf. A. Schäfer, Grundriss d. griech. Quellenkunde (4. Aufl.) p. 60; Blass l. c. II, 68; 378; 418.

2) Cf. Blass l. c. III, 2 p. 90.

3) Cf. Pseudolys. § 60 et (cf. p. 28 h. l.) Aristoteles rhet. 3, 10, 1411 a 31; Pseudodemosth. epit. 23; sententia sequens „*ὥστε ὦ ἄνδρες*

Sed revertamur ad ipsam orationem funebrem non omittentes Lycurgum non plane Athenarum laudis in hac parte oblitum esse dicentem „ἐπίστασθε ὦ ⟨ἄνδρες⟩ Ἀθηναῖοι, μόνοι τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τιμᾶν . . . .“ (quae verba referenda censeo etiam ad laudationem funebrem). Fortasse in hac gravi et pulchra praedicatione plura vestigia insunt orationis, quam vere habuit Demosthenes, quam in epitaphio Demosthenis nomine tradito; sed hunc epitaphium cum optimo et maximo oratori falso adscriptum et post Hyperidis laudationem factum esse putem, Hyperidis opus [1]) prius examinabo. Cuius oratio una earum, quae aetatem tulerunt, re vera habita est spiratque vigorem atque ardorem contionis et vitae, etiamsi aliqua sophistarum ornamenta pro tempore non desint, ut rectissime auctor libelli, qui „περὶ ὕψους“ inscriptus est, iudicet (c. 34, 2 ed. Vahlen 1905) „τὸν δὲ ἐπιτάφιον ἐπιδεικτικῶς ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος διέθετο“ [2]). Hyperides Leosthenis socius amicusque, cum eum in obsidione Lamiae interfectum esse nuntius Athenas allatus esset, ab Atheniensibus delectus est [3]), qui in eum [4]) militesque, qui una cecidissent, laudationem pronuntiaret. Hyperidi Leosthenem ducem collaudanti non solum priorum epitaphiorum exempla sed etiam Isocratis Euagoras ob oculos versatus esse videtur. Ei quidem unum virum hoc modo celebrare licuisse testimonio est amorem et studium liberae rei publicae e civitate iam evanescere coepisse. Ac statim in medias res ineamus.

De Hyperidis epitaphio.

οὐκ ⟨ἂν⟩ αἰσχυνθείην εἰπὼν στέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς“ resonat in Hyper. ep. § 19 (fortasse hae sententiae sunt Demosthenis verae orationis funebris).

1) Cf. Blass l. c. III, 2 p. 68 sqq.; Buresch l. c. p. 91; Chaillet l. c. p. 65; Caffiaux l. c. p. 125 sqq.

2) Blass in Hyp. orationum editione (1894) antiquorum iudicia et libros de Hyp. scriptos affert; epitaphius est or. VI eius edit.; paragraphos huius editionis apponam.

3) Diod. Sic. 18, 13.

4) Athenienses Periclis aetate ducem ne nominari quidem pati videntur.

§ 1—3 (ed. Blass) In prooemio [1]) — quantum quidem papyris nobis servatum est — orator consilium aperit: sese Leosthenem eiusque milites, quod „ἄνδρες ἀγαθοί“ fuerint, praedicaturum esse; etiamsi dubitet [2]), num facultas sua dicendi tali proposito sufficiat, tamen se audere loqui, quod, quae desint, audientes ipsi addere possint. In tres deinde partes laudem [3]) distribuit: praedicari debere I. civitatem propter consilium pugnandi maioresque adaequandi, II. mortuos ob fortitudinem, III. Leosthenem ducem propter consilium ac virtutem. Haec dispositio gradatim ascendens atque in Leosthenis laude tamquam in fastigio subsistens demonstrare ac declarare mihi videtur ducis praedicationem oratori maximae curae fuisse; in expolienda deinde oratione non severe servat Hyperides
4—6. propositi ordinem. Civitatis laudem longius pertractare tempore atque occasione deficiente atque obsistente abnuit capita modo eius partis tacturus: soli [4]), qui omnia alat et colat, urbem similem esse omnibus consulendo i. e. malos puniendo, bonos adiuvando, iustum aequumque [5]) tutando, suo labore et copia totius Graeciae securitatem praestando; tum, ut initio (§ 4), removens laudem maiorum et rerum prius gestarum Thucydidis exemplo usus in praesenti statu potius versans transit in praedicationem mortuorum: in-
6—9. digenae cum sint Athenienses, supervacaneum esse de eorum

---

1) Diligentissimum opus de Hyperidis arte oratoria scripsit Simon Kayser „L'art oratoire, le style et la langue de Hypéride“ (Musée Belge I et II [1897 et 1898]).

2) Prooemia priorum oratorum eum in animo habuisse arbitror cf. p. 49 not. 2; Thucydides (II, 34) testibus et spectatoribus praesentibus maiorem laudandi difficultatem, minorem Hyperides esse censet.

3) Partitionem talem novam esse Blass quoque exprimit l. c. III, 2 p. 68 et Kayser l. c. II p. 54.

4) Quam comparationem ex hoc loco hausisse et in suum usum vertisse Pseudodemosthenem (§ 24) existimo; cf. p. 66 not. 4 h. l.

5) (§ 5) „τὸ δὲ ἴσον ἀντὶ τῆς πλεονεξίας ἅπασιν φυλάττουσα“; hoc verbum „τὸ ἴσον“ in nulla laudatione Athenarum deesse potuisse videtur; cf. p. 45 et p. 50 h. l.

singulorum illustri origine quaerere [1]) itemque de educatione: nam qui viros fortissimos sese praebuerint, eos necesse esse optime educatos atque excultos esse; virtutem bellicosam se laudare e re sibi videri esse; initium se capere a Leosthene duce: „*καὶ γὰρ δίκαιον*“ (id quod difficile intellectu fuisset prioribus, qui quidem tale laudis exordium respuissent): Leosthenem enim cum res Graecas afflictas vidisset, sese patriae dedidisse (11) „*τὴν δὲ πόλιν τοῖς Ἕλλησιν εἰς τὴν ἐλευθερίαν*“; sic primum consilium, deinde res gestas effert: eum exercitum collegisse, Boeotios, Macedones, Euboeos, eorum socios vicisse in Boeotia, Thermopylas occupavisse [2]), Antipatrum Lamiam reppulisse et illic cinctum tenuisse, omnes gentes vicinas socias sibi conciliasse, quae laetae ei principatum concessissent; ac rerum victorem mansisse Leosthenem, fatum quidem effugere non potuisse; sed eius exemplar post mortem etiam valuisse ad posterosque incitandos vim habuisse. Tum Hyperides se vertit ad milites laudibus efferendos: ducis laude eorum contineri praedicationem; consilium imperatoris esse, actionem militum; hos eo bello fortissime pro Graecorum libertate dimicantes cecidisse; incitamenta ardoris atque audaciae iis fuisse loca pugnarum — quibus verbis novum elementum orationis inducit aptumque laudationi vere habitae —; Thebas fractas milites ante oculos habuisse, Thermopylas, ubi Amphictyones quotannis convenirent eorumque virtutis spectatores fierent ac reminiscerentur; qua recordatione ad singularem fortitudinem inflammatos esse pugnatores [3]). Deliberandum esse quid, nisi

10.

11—14.

15—17.

17—19.

---

1) Hic verba illa pertrita atque obsoleta „*αὐτόχθονες*“ et „*εὐγένεια*“, quae omnino praeterire non debuit Hyperides; sed non in laudem maiorum et civitatis in laudem mortuorum ea inseruit.

2) Hac occasione in memoriam brevissime revocat bella Persarum sic: (12) „*δι' ὧν (παρόδων) καὶ πρότερον ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας οἱ βάρβαροι ἐπορεύθησαν*“.

3) Similis sententia hic atque apud Lycurgum (adv. Leocr. 50) est, qui dicit „... *ὥστε ὦ ἄνδρες οὐκ ⟨ἂν⟩ αἰσχυνθείην εἰπὼν στέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς*“; cf. Hyperides (19) „*καὶ τὴν μὲν ἐλευθερίαν εἰς τὸ κοινὸν πᾶσιν κατέθεσαν, τὴν δ' εὐδοξίαν*

illi vicissent, futurum fuerit: Macedones rerum potitos nullo scelere destituros fuisse gravissimaque servitute Graecos
19—22. vexaturos [1]). Tam ingenti periculo imminente eo magis virtutem et constantiam militum laudandam esse, qui multas pu-
23—25. gnas, maximos labores pertinaci animo subissent. Beatos deinde orator praedicat mortuos superstitesque: parentes honorari et
26—34. coli, sorores iusto matrimonio frui aut fruituras esse (quae locutio vere Graeca in hoc solo epitaphio invenitur) liberos a populo benevolentia affici ob patrum virtutem, qui non perissent sed in meliorem statum transissent [2]); itaque pulcherrimam mortem adeptos felicissimos esse, praesertim cum in aeternum omni occasione eorum memoria celebretur apud omnes, quibus splendidissimam imaginem ad imitandum reliquissent; omnes poetas et philosophos eos in futurum praedicaturos esse. Sive oblectationis sive utilitatis gratia honorentur, oportere eos „εὐδαιμονίζειν“. Revertitur deinde Hyperides ad Leosthenem
35—40. celebrandum describitque sine dubio sequens Platonis exemplum [3]), quo honore apud inferos acceptus sit dux talium militum: viros fortissimos belli Troiani eum admirari, quorum facta superaverit: „*οἱ μὲν μετὰ πάσης τῆς Ἑλλάδος μίαν πόλιν εἷλον, ὁ δὲ μετὰ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος μόνης πᾶσαν τὴν τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίας ἄρχουσαν δύναμιν ἐταπείνωσεν κ.τ.λ.*“ [4]) Miltiadem, Themistoclem, Harmodium, Aristogitonem salutare Leosthenem; factis comparatis hunc superiorem discedere in ipsius laudatione non mirum est. Sequens sententia non

---

⟨*τὴν*⟩ *ἀπὸ τῶν πράξεων ἴδιον στέφανον τῇ πατρίδι περιέθηκαν*“ (v. p. 56 annot. 4 h. l.).

1) M. Girard (Études s. l'élog. att. p. 220) ad hunc locum eleganter animadvertit: „Ce n'est pas le ton d'une philippique; la tribune du Pnyx avait d'autres accents et des élans plus libres; mais ses phrases qui, dans le grec, se balancent avec art, respirent cependant la passion.“

2) Cf. Meuss l. c. p. 812/13; Rohde l. c. II, 203.

3) Plat. Apol. 41 A—C; Hyperidem Platonis auditorem dici notum est; cf. Blass l. c. III, 2 p. 3.

4) Quam popularem comparationem invenimus apud Periclem (Plut. 28; cf. p. 29/30 h. l.), apud Isocratem (Euag. 65; Paneg. 63) inveniemusque apud Pseudodemosthenem (§ 10).

integra est; fortasse ad admonitionem transit Hyperides: sed nihil certi e paucis verbis erui potest. Eo magis gaudendum est, quod consolatio nobis servata est a Stobaeo (flor. 124, 36)[1]). Hyperides difficile esse dicit talium virorum superstites consolari: attamen animis fortibus eos esse debere memores non solum iacturae sed etiam gloriae; lamentationem is quoque orator refutat his verbis: (42) „εἰ γὰρ θρήνων ἄξια πεπόνθασιν, ἀλλ' ἐπαίνων μεγάλων πεποιήκασιν", rursusque beatos occisos praedicat: nam qui filios non reliquerint, eorum nomina immortalia remanere laudibus; liberis autem patriam prospecturam esse. Vacare mortuos morbo, dolore[2]), fortunae humanae casibus, si mori sit non esse[3]); si qui sensus sit apud inferos[4]) curaque deorum, eos, qui servassent et tutati essent honores illorum, summa beatitudine dignos esse. 41—43.

Quae capita ex his reliquiis colligi possunt, ea sunt: I. pars prooemii, dispositio laudum, II. laudes et praedicatio, qua beati dicuntur mortui, III. consolatio. Dispositio laudum clara, sed, ut dixi, non satis diligens eius habetur ratio. Laudes comprehendunt mortuorum genus, educationem, virtutem, ducis ingenium ac fortitudinem ac transgrediuntur in partem beatitudinis praedicationis: et milites praedicantur beati et superstites propter virtutem ac gloriam, quam ab illis acceperint, et dux, quod summo honore apud inferos recipitur. Num adhortationis pars amissa sit, dubitamus itemque an ludi commemorati sint. Consolatio admirabilis est ob claritatem ac dignitatem, ut recte iudicet Buresch (l. c.) „eam probam veramque philosophiae scientiam prae se ferre, qualem in nulla alia Graecorum aut Romanorum oratione funebri offendamus." Novum orationis inventum est, quod loca pugnandi et, quae cladem secutura fuerint,

1) Bene censet Kayser (l. c. II p. 74) „le frg. contient deux contrastes exprimant des sentiments de condoléance et d'encouragement, admirables de simplicité". — De consolationis sententia cf. Buresch l. c. p. 91.

2) Cf. Pseudolys. § 79; v. p. 51 h. l.

3) Hoc quoque haustum videtur e Platonis Apol. c. 32 sq.

4) Cf. p. 41 annot. 3 h. l.

commemorantur, novissimum autem, quod dux militum summis laudibus exornatur eiusque persona in primo paene loco ponitur; posuisset sane aperte in primo loco eum orator, nisi pristinum morem atque usum non neglegere debuisset; sic genera duo, publicam laudationem et privatam praedicationem dico, permiscet Hyperides; recenti modo victoria nixo hoc facere ei licuit et praeterire priores res gestas [1]) tritumque ordinem. Quosdam locos communes eum proferre aetatis et generis demonstrativi est. Unum hoc exemplum et orationis vere dictae et in ducem eiusque milites habitae nobis traditum est, atque mihi videntur sequentes Hyperidem oratores, etiamsi perpauca supersint, eum imitari non ausi esse; nam quam orationem nunc tractatura sum, communem mortuorum laudem continet, et quam declamationem Himerius composuit, ea, ut rhetorum praecepta, quae ducis laudis nullam mentionem faciebant, ad priores orationes relapsa est. Isocratis Euagorae auctoritas multo posteriore tempore in laudationes funebres privatas valuit; in publica oratione Hyperides solus ad eius exemplar unum virum collaudare animum induxit.

De Demosthenis quae fertur oratione.

Sed iam illam examinemus orationem quae, si vere Demosthenis esset et habita post pugnam ad Chaeroneam commissam, anteponenda fuisset Hyperidis epitaphio; at cum eam nec Demosthenis esse neque ad illam cladem pertinere censeam, posteriorem pono. Primum iudicia inspiciamus et brevissime, num vera et quando confecta sit, disseramus. Nemo negare potest Demosthenem orationem funebrem in eos, qui pro libertate pugnantes ad Chaeroneam interfecti erant, dixisse, cum ipse orator id testetur; gloriatur enim in oratione de corona (§ 285) contra Aeschinem: „*χειροτονῶν γὰρ ὁ δῆμος τὸν ἐροῦντ᾽ ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσι παρ᾽ αὐτὰ τὰ συμβάντ᾽ οὐ σὲ ἐχειροτόνησε προβληθέντα, καίπερ εὔφονον ὄντα, οὐδὲ Δημάδην, ἅρτι πεποιηκότα τὴν εἰρήνην, οὐδ᾽ Ἡγήμονα, οὐδ᾽ ἄλλον ὑμῶν οὐδένα, ἀλλ᾽ ἐμέ*“; et (287): „. . . *εἶτα καὶ*

1) Thucydides quoque missa facientem Periclem priora facta induxit (II, 36, 4) sed magis rerum scriptoris quam oratoris consilio commotus.

προσήκειν ὑπολαμβάνοντες τὸν ἐροῦντ' ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσι καὶ τὴν ἐκείνων ἀρετὴν κοσμήσοντα, μηθ' ὁμωρόφιον μηθ' ὁμόσπονδον γεγενημένον εἶναι τοῖς πρὸς ἐκείνους παραταξαμένοις (κ.τ.λ.) .... τοῦτο δ' ἑώρων παρ' ἑαυτοῖς καὶ παρ' ἐμοί, παρὰ δ' ὑμῖν οὔ. διὰ ταῦτ' ἔμ' ἐχειροτόνησαν καὶ οὐχ ὑμᾶς". Quocum Plutarchus consentit (Demosth. c. 21) „ὁ δὲ δῆμος", inquit, (Demosthenem) „καὶ τιμῶν διετέλει καὶ προσκαλούμενος αὖθις ὡς εὔνουν εἰς τὴν πολιτείαν, ὥστε καὶ τῶν ὀστῶν ἐκ Χαιρωνείας κομισθέντων καὶ θαπτομένων, τὸν ἐπὶ τοῖς ἀνδράσιν ἔπαινον εἰπεῖν ἀπέδωκεν" [1]). At eam orationem, quam Demosthenis nomine traditam accepimus, eius non esse iam veteres iudicaverunt aut in dubium vocaverunt, utrum vera sit necne. Maximi momenti Dionysii Halic. iudicium mihi videtur esse dicentis (De Demosth. c. 44) „ὁ φορτικὸς καὶ κενὸς καὶ παιδαριώδης ἐπιτάφιος"; atque Libanius (περὶ τῶν μερῶν τῆς ῥητορικῆς ed. Reiske p. 6) existimat idem auctore quidem Dionysio: „ἐπιδεικτικοὺς δ' οὐκ ἔχομεν αὐτοῦ λόγους. τοὺς γὰρ φερομένους οὐ πιστευτέον εἶναι Δημοσθένους, τὸν ἐπιτάφιον καὶ τὸν ἐρωτικόν· πολὺ γὰρ τῆς ἐκείνου δυνάμεως ἀπολείπονται. καὶ οὐχ ἡμετέραν γνώμην λέγομεν, ἀλλὰ καὶ Διονυσίῳ τῷ Ἁλικαρνασσεῖ τοῦτο συνδοκεῖ. ὅτι μὲν γὰρ εἶπεν ἐπιτάφιον λόγον Δημοσθένης ὡμολόγηται· οὐ μὴν τοῦτον εἰκὸς εἶναι τὸν ὑπ' ἐκείνου ῥηθέντα, πάνυ φαύλως καὶ ἀσθενῶς ἔχοντα".

Harpocration autem bis epitaphium commemorat (v. *Αἰγεῖδαι* et v. *Κεκροπίς*): „... (ὡς) Δημοσθένης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, εἰ γνήσιος", et Photius (bibl. cod. 265 p. 492) scripsit: „καὶ τὸν κατὰ Νεαίρας δὲ λόγον ὑπτιότητός τινες αἰτιώμενοι τῶν Δημοσθενικῶν ἀποκρίνουσι λόγων· ὥσπερ καὶ τὸν περὶ ἔρωτος αὐτῷ γεγραμμένον καὶ τὸν ἐπιτάφιον: .... τοὺς πεπτωκότας δὲ ἐν τῇ μάχῃ ἐκόσμησεν ἐπιταφίῳ· τῆς μὲν συμβάσης τύχης ἴσως οὐδὲν ἐνδεέστερον, τῆς δὲ ἄλλης αὐτοῦ περὶ λόγους δυνάμεως οὐκ ὀλίγῳ ἐνδεέστερον" [2]).

1) Eos, qui ad Chaeroneam ceciderant, *ἐν Κεραμεικῷ* sepultos esse tradidit Pausan. I, 29, 11.

2) Omittere mihi licere puto, quae quasi orationis excusandae causa Syrianus ad Hermog. (*στάσ.* 4) adnotavit.

His praemissis gravibus testibus pauca addenda sunt; nam ad unum fere omnes viri docti tamquam spuriam orationem condemnaverunt ut F. A. Wolf, Westermann, Schäfer, Blass [1]) multique alii, qui cum diligentissime hanc quaestionem pertractaverint, eam redintegrare meum esse nego. Nam in hac oratione desiderari Demosthenis dicendi generis gravitatem atque elegantiam orationemque pendere e Menexeno atque Hyperide constat; Demosthenis figuras ei inesse haud mirum, cum auctor clara secutus sit exempla. Sed orationi deest ardor ille atque odium in Macedonas, deest adhortatio omnis in Athenienses, ne desinerent certare pro libertate, quae suppressisse et omisisse in tali occasione Demosthenem mihi persuadere non possum. Ac quid quod nulla mentio ipsius pugnae et cladis ad Chaeroneam acceptae fit? Cladem commemorari concedo (§ 19; quam quidem in Thebanorum culpam revocare generoso Demosthenis animo omnino non convenit); at rhetorem aliquem sibi proposuisse, ut epitaphium conficeret post cladem dicendum eumque respexisse alias laudationes funebres existimo. Exercitatio scholae est, non oratio habita; quae nova affert auctor, suo loco exprimam [2]). Quando oratio haec scripta sit, accurate praefinire nequeo; cum formam sententiasque quarti saeculi epitaphiorum in plerisque conservaverit rhetor, qui fortasse ipse loquentem audiverat Demosthenem ex memoriaque eum pro suis viribus imitari conatus est, fine quarti, certe autem post Hyperidis laudationem [3])

1) F. A. Wolf ad Lept. p. 363; Westermann quaest. Demosth. II (p. 49—70) cap. III dedidit disputationi veritatis inquirendae. — A. Schäfer, Demosth. u. s. Z. I, p. 34 sq.; Blass, Att. Bereds. III, 1 p. 356 sq. Summa industria ac diligentia omnia, quae ad hunc epitaphium spectant, composuit et tractavit H. Lentz, Der Epitaphios pseudoepigraphus d. Demosthenes, I et II (Progr. Wolfenbüttel 1880 et 1881), qui argumenta quoque sententiasque usque ad fontes pervestigavit. — Nimio traditae memoriae conservandae studio abreptus epitaphium Demosthenis esse defendit Caffiaux (l. c. p. 102 sqq.).

2) Schäfer l. c. Callimachum putat orationem Demosthenis operibus inseruisse.

3) Blass l. c. III p. 356 rhetorem Demosthenis scholae circ. tempus orationis vere habitae eam composuisse arbitratur; sed cum Hyperidis epitaphium spectet, posterioris temporis est.

compositam esse orationem censeo, praesertim cum duae tribus, Ἀντιγονίς et Δημητριάς, circiter a. 307 institutae [1]) et a. 306/5 primum commemoratae [2]), nondum appellentur nec laudentur. Sed ipsum epitaphium adumbremus.

Prooemium complectitur sententias: impares oratoris vires tanto muneri, magnum certamen cum prioribus esse, oboediendum legi honoris mortuorum causa datae; dispositione laudis, qua in re imitatur auctor Menexenum, (cf. p. 39 h. l.), praeposita, quam e tribus rationibus manare vult: — nam mortuos I. *γεγενῆσθαι καλῶς καὶ* II. *πεπαιδεῦσθαι σωφρόνως καὶ* III. *βεβιωκέναι φιλοτίμως*“ —, transit in laudes: *εὐγένειαν* praedicat, Athenienses „*αὐτόχθονας*“, terram matrem, quem totum locum rhetorem e Menexeno sumpsisse (p. 237 E) apparet. Tum captatione benevolentiae interposita principales virtutes maiorum vere Athenienses — „*ὑπῆρχεν*“, inquit, „*αὐτοῖς πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις καλοῖς κἀγαθοῖς καὶ δικαιοτάτοις εἶναι*“ —, efferens incipit laudem rerum gestarum; easdem, quas Plato tangit fabulas eodemque modo paucis respuens Pseudolysiae longitudinem se vertit ad res vere gestas, i. e. ad bella Persarum [3]) atque ad bella Graecorum, in quibus semper Athenienses et libertatem et aequitatem conservaverint; brevitas, qua in his rebus historicis tractandis orator utitur, mira est; num re vera Demosthenes nomina illa praeclarissima Marathonis, Salaminis, Plataearum silentio praeteriturus fuisset?

Hyperidis orationis imitationem cognoscimus ex eo, quod celeriter ad accisorum laudem transgreditur auctor eique maiorem declamationis partem largitur. Sed antea iterum de propositi difficultate longius disserit [4]); tum se mortuos

1—3. 3. 4—26. 4—5. 6—7. 8. 9—11. 12—14.

1) Plut. Dem. 10; Diod. XX, 45; Pollux VIII, 110; cf. Toepffer in Pauly-Wissowa R. E. (N. B.) I p. 2405 et v. Schoeffer (eod. l.) IV p. 2765; si dicat quispiam auctorem consilio has omisisse tribus, quia post cladem ad Chaeroneam, i. e. a. 338 orationem haberet, responderi potest epitaphium nullam certam cladem respicere; cf. p. 64 h. l.

2) CJA II 246. 3) Comparationem cum viris belli Troiani (§ 10—11) iam invenimus in Pericl. orat. (Plut. Pericl. 28), in Isocr. Euag. 65, Hyper. ep. 35; (v. p. 60 h. l.). 4) Duplex benevolentiae captatio non magistri, sed discipuli artem rhetoricam spirat.

15—17. secundum aetatum ordinem [1]) praedicaturum esse promittens eos pueros atque adulescentes omnibus probatos esse pergit virosque omni tempore prudentes ac fortes sese praestitisse
18—23. neque umquam, si periculum institisset, eos Graeciam deseruisse. Atque negat hac pugna eos, qui cecidissent, victos esse, cum mortui cladis non essent participes [2]); sed tantam eos hostibus admirationem fortitudinis iniecisse, ut ultra Athenienses aggredi non ausi essent aequamque pacem cum iis inissent valdeque generosi in eos animi fuissent; nec illorum sed Thebanorum culpa res in tantas angustias deductas
23—24. esse [3]). Finem huius partis facit orator brevi lamentatione querens cum horum virorum vita, qui fato non hostibus succubuissent, perisse Graeciae libertatem; nam „ἡ τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ τῆς Ἑλλάδος ἦν ψυχὴ τἀληθὲς εἰπεῖν“; ut sole e mundo [4]) exstincto vita misera et tristis sit, sic
25—26. eorum morte Graeciam obscurari et laborare; talem virtutem in libera modo re publica nasci affirmans orator civitatis praedicationem annectit; nam in libera sola civitate florere fortitudinem, honorem, ubi cuivis, de quo velit, impune dicere liceat. Postquam deinde, quae iam tractavit, dispositione expolitioni postposita, complexus est his verbis: (27) „ἃ μὲν οὖν κοινῇ πᾶσιν ὑπῆρχε τοῖσδε τοῖς ἀνδράσιν εἰς τὸ καλῶς ἐθέλειν ἀποθνήσκειν, εἴρηται, γένος, παιδεία, χρηστῶν ἐπιτηδευμάτων συνήθεια, τῆς ὅλης πολιτείας ὑπόθεσις“, addit

1) Cf. Hyperidis ep. 8, qui eandem servat collocationem.

2) Hic locus aperte e Lyc. adv. Leocr. oratione (§ 49) pendet:

Lyc. 49:	Pseudodem. 19:
„εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δὲ, ἐκεῖνοι νικῶντες ἀπέθανον“ κ.τ.λ.	„οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι δ' εἰπεῖν, ὅτι μοι δοκοῦσιν οἱ τελευτῶντες ἑκατέρων ἐν τάξει τῆς μὲν ἥττης οὐ μετέχειν, νικᾶν δὲ ὁμοίως ἀμφότεροι“ κ.τ.λ.

3) Neque Macedonas laudare neque Thebanos accusare Demosthenis fuit.

4) Haec sententia similis est comparationi civitatis cum sole, quam Hyperides praebet (ep. 5, cf. p. 58 h. l.), sed multo similior verbis illis, quibus Pericles cum iuventute occisa quasi ver ex anno ereptum esse dicit (cf. p. 30 et p. 45 not. 2 h. l.); duas comparationes Pseudodemosthenes in unam sententiam contraxisse videtur.

novum aliquid pronuntians, „ἃ δὲ κατὰ φυλὰς παρεκάλεσεν 27—31.
ἑκάστους εὐρώστους εἶναι, ταῦτ' ἤδη λέξω". Deinde singulas tribus[1]) praedicat ad eorum patronos virtutes caesorum referens; quae quidem enumeratio et comparatio quiddam molesti et languidi affert; at fortasse morem tunc exortum significat, cum auditores quandam variationem pertriti ordinis cupiebant, petebant oratores; qua hac in exercitatione libenter usus est auctor, quid didicerit, prae se ferens; neque tribuum laudatione eum cautissime ac timidissime ad singulorum praedicationem spectare negari potest; universos totius urbis mortuos adhuc Hyperidis epitaphio excepto laudare oratores debebant; iam singularum partium civitatis milites efferebant; et proximi propius ad Hyperidem accedentes fortasse singulos viros exornare audebant.

Post brevem virorum amissionis lamentationem orator 32—35.
ad beatos mortuos praedicandos aggreditur: eos aeternam gloriam sibi parentibusque comparavisse, vacuos esse morbis et calamitatibus, summos honores assecutos esse, desiderium sui non solum cognatis et Graecis reliquisse, sed etiam „τῆς οἰκουμένης τῷ πλείστῳ μέρει"; et pergit magniloquentia ex aliis decerpta: (34) „πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι; οὓς εἰκότως ἄν τις φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι, τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν μακάρων νήσοις[2]). οὐ γὰρ ἰδών τις οὐδὲ περὶ ἐκείνων ταῦτ' ἀπήγγελκεν, ἀλλ' οὓς οἱ ζῶντες ἀξίους ὑπειλήφαμεν τῶν ἄνω τιμῶν, τούτους τῇ δόξῃ καταμαντευόμενοι κἀκεῖ τῶν αὐτῶν τιμῶν ἡγούμεθ' αὐτοὺς τυγχάνειν"[3]).

---

1) De singulis locis, quos hic enumerare longum est, egit Lentz l. c. (1881 p. 31 sq.); de patronis tribuum cf. Rohde I, 138, annot. 1; I, 169 sqq.; Schmid l. c. p. 26; cf. p. 65 h. l.

2) Cf. Plat. Menex. 235 C.

3) Similitudo cum Periclis sententia animadversione mihi digna videtur, ut eam afferam (Plut. Per. c. 8 Stesimbroto auctore) „(Περικλῆς) ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι (τοὺς ἐν Σάμῳ τεθνηκότας) καθάπερ τοὺς θεούς· οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς, ἃς ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ παρέχουσι, ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα· ταῦτ' οὖν ὑπάρχειν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανοῦσιν." Unde diu viguisse Periclis Samiae orationis memoriam cognoscimus; cf. p. 66 not. 4 h. l.

Transitio in consolationem par est Hyperidis solatii initio: difficile esse dolorem lenire, quem e talium virorum
35—37. obitu ceperint superstites. Attamen ut fortiter ferant calamitatem, monet orator quippe fortium virorum parentes; consolationi iis esse honores[1]) et gloriam mortuorum, quibus ipsi fruantur, curamque civitatis in patres, matres, liberos.
37. In brevi peroratione auctor levem plagam inicere videtur nimis laudantibus his verbis „ἐγὼ μὲν οὐχ, ὅπως πολλὰ λέξω τοῦτ' ἐσκεψάμην, ἀλλ' ὅπως τἀληθῆ" et claudit declamationem solito more[2]). Partes principales ergo sic collocari possunt: I. Prooemium dispositionem laudis continens, II. laudes interruptae captatione benevolentiae ac brevi lamentatione, III. praedicatio beatitudinis mortuorum, IV. consolatio initio coniuncta adhortationi, V. epilogus; laudatio autem divisa est in laudes originis, maiorum, rerum gestarum (et fabulosarum et verarum), mortuorum (quorum laudantur iuvenum et virorum mores et virtutes) eorumque in ultima pugna et clade fortitudinis, civitatis, tribuum.

Consolatio admonitioque, quibus propria pars non est, nihil novi afferunt, simplices et graves sunt; ex antecedentibus orationibus auctor haud imprudenter exemplar capitum sibi sumpsit et primum locum, ut Hyperides, honori ac laudi occisorum dedit e consilio eius, qui mortuorum celebrandorum gratia legem tulerat. Etiamsi exercitatio scripta sit oratio, tamen non tantum scholam olet, quantum, quae Lysiae fertur, laudatio, ut assentiar Leonhardo Spengel[3]) dicenti haud ita indignum Demosthenis nomine neque puerile opus esse; certissime

---

1) Hic quoque orator ludos commemorat § 36; cf. Menex. 249 B; Lys. § 80.

2) § 37: „ὑμεῖς δὲ ἀποδυράμενοι καὶ τὰ προσήκοντα ὡς χρὴ καὶ νόμιμα ποιήσαντες ἄπιτε." — Cf. Thuc. 2, 46, 2: „νῦν δὲ ἀπολοφυράμενοι ὃν προσήκει ἑκάστῳ ἄπιτε." — Plat. Menex. 249 C: „νῦν δὲ ἤδη ὑμεῖς τε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες κοινῇ κατὰ τὸν νόμον τοὺς τετελευτηκότας ἀπολοφυράμενοι ἄπιτε." — Pseudolysias ep. 81: „ὅμως δ' ἀνάγκη τοῖς ἀρχαίοις ἔθεσι χρῆσθαι, καὶ θεραπεύοντες τὸν πάτριον νόμον ὀλοφύρεσθαι τοὺς θαπτομένους."

3) Münch. Gelehrte Anzeigen 1838 p. 545.

longe praestat oratio Pseudolysianae collocatione et dispositione dilucida aptaque mortuorum praedicatione.

Hae sunt antiquitatis orationes funebres. Nullas reliquias laudationum, quae sequentibus saeculis in usu erant, possidemus; libera re publica perdita studium huius quoque artis et generis dicendi paene exstinctum est; id tamen non plane evanuisse Cicero tradidit (orat. § 151); sed tam exigua vis ingenii erat, ut nihil novi procrearet, ad antiqua exempla refugeret. Post Christum natum redintegrata quidem laudatio funebris quodam modo est; at in scholis tantum sophistarum colebatur nec nomine ipso quidem orationis funebris induta est; nam ea, quae ex illa aetate nobis permansit, a sophista inscribitur „oratio polemarchica", unde conicere licet illo tempore polemarchi fuisse (cf. p. 23 h. l.) die mortuorum laudationem recitare (Cicero eum, qui munere fungebatur, non nominat). Et qualis species fuerit earum declamationum, e Himerii opusculo recognoscemus, cuius orationem ultimam, quod ad publicam pertinet laudationem, percurremus.

Quarto saeculo p. Chr. n. Himerius orationem, quam inscripsit „*λόγος πολεμαρχικός*" [1]), composuit ac recitavit [2]). Non mirum eum declamationem pro aetatis arte summa verborum ubertate atque insolentia rhetorice exornavisse omnibusque e fontibus antiquis hausisse argumenta. Quantum eorum dispositionem partium secutus sit, ipsius orationis partitione adumbrata intellegemus.

Rhetor a laude legis [3]) proficiscitur: consuetudinem vere C. I.
Atticam esse maiorique usui vivis quam mortuis: nam honore

---

1) Orat. II editionis, quam annotationibus appositis curavit G. Wernsdorf, Göttingen 1790.

2) Qua in re consentio cum Caffiaux Francogallico, qui declamationem perlustravit maioremque partem in suam linguam vertit (l. c. p. 193 sqq.).

3) Himerius non, ut priores oratores, dubitat, quin sua dicendi facultas sufficiat muneri; cf. Thuc. II, 35, 2: „*χαλεπὸν γὰρ τὸ μετρίως εἰπεῖν ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται.* — Plat. Men. 239 B: „*ὁ χρόνος βραχὺς ἀξίως διηγήσασθαι*". — Pseudolysias ep. 1:

hoc proposito eos incitatos mortem contemnere, audacter pugnare sperantes suam gloriam post mortem oratione remansuram esse. Tum laudes mortuorum exorditur praedicatione
2—3. originis: omnes Athenienses eadem celebritate frui „ἀλλ' ὁμοῦ τε Ἀθηναίους εἴρηκα, καὶ μετὰ τῆς ἐπωνυμίας δηλῶ τοὺς αὐτόχθονας“. Tritum hunc locum esse ex antiquorum epitaphiis cognovimus [1]) nec minus ex iisdem fontibus manat laus terrae ut matris Athenarum [2]) et genetricis hominum [3]); inventrices legum Athenas fuisse Himerius exponit, primam
4. urbem cum diis consuetudinem habuisse eorumque dona accepisse, qui et victum et artes ac leges religionesque
5. Athenienses docuissent; quod urbs Cereris errationum finis fuisset, ab ea frugibus mysteriisque donatam civitatem esse, quibus maiora munera generis humani exstare orator negat;
6. tum praedicat Athenas primas domos aedificavisse, artes ac leges (id quod iam expressit) invenisse, dies festos ludosque instituisse, armis atque equis usas esse; de
7. tali urbe Neptunum ac Minervam certamen inisse atque, arbitrium Atheniensium cum Minervae favisset, eam iis oleam dedisse ipsiusque nomine urbem condecorasse; summum et
8. deorum et hominum iudicium Areopagum fuisse, ubi et Mars in ius vocatus et Orestes diis hominibusque iudicantibus culpa liberatus esset; antequam transeat ad laudes rerum pro re publica et pro universa Graecia gestarum, admira-
9. tur Atheniensium humanitatem, qua omnes miseros Graecos suscepissent, emisissent colonias.

„ὁ πᾶς χρόνος οὐχ ἱκανὸς λόγον ἴσον παρασκευάσαι τοῖς τούτων ἔργοις“: — Hyper. ep. 2: „φοβοῦμαι μὴ μοι συμβῇ τὸν λόγον ἐλάττω φαίνεσθαι τῶν ἔργων τῶν γεγενημένων“: Pseudodemosth. ep. 1: „ἀνυπέρβλητον παντὶ λόγῳ τὴν ἀρετὴν καταλελοίπασιν“ et ib.: „ἀξίως εἰπεῖν ἕν τι τῶν ἀδυνάτων εὕρισκον ὄν“:

1) Cf. Thuc. II, 36; Isocr. Paneg. 24; Plat. Menex. 237 B; Pseudolys. 17; Hyperid. ep. 7; Pseudodemosth. ep. 4.

2) Cf. Menex. 237 B et C, unde orta est locutio.

3) Menex. 237 D et E; sequentia quoque apertissime sumpsit e Menexeni capite laudis Athenarum; v. p. 40 sq. h. l.

Deinde postquam Graeciam omnibus partibus et situ ipso terrae et Graecorum inter sese inimicitiis periculis circumdatam esse declaravit, res fabulosas exornat: Athenienses tutatos esse Herculis filios, Thraces atque Amazones fudisse et fugavisse, septem Argivorum sepulturam Thebanis invitis curavisse (quae argumenta satis nota sunt). Has quidem fabulas videri; sed quid quod tria bella simul Athenienses gesserint cum Doriensibus, Bocotiis, Euboeis eosque uno impetu devicerint? [1]) Aggrediendum denique ad laudes herorum, victorum Persarum, etiamsi parem se esse tantis rebus praedicandis orator hic quidem (cf. p. 69 h. l.) neget; causas expeditionum a Dareo missarum exponit Herodotum [2]) sequens: Athenienses Ionibus auxilio venisse Sardesque incendio delevisse; eorum ruinis regem suum augere voluisse imperium. Quantum Persas molitos esse apparatum! [3]) Infinitam fuisse multitudinem, ut quotannis e voto (quingenos) hircos populus sacrificare nondum desineret [4]). 10—12. 13—29.

Tanta navium copia Persas evectos esse narrat, ut totum pelagus classe absconderetur (cf. Herodot. 6, 95 sq.). Naxum insulam hostes cepisse, Eretrienses indaginis ritu manu invicem manum complexos esse insectatos (Herodot. 6, 31; Himerius, quae Herodotus de prioribus sub Darei imperio facinoribus narrat, confudit cum eis rebus, quae postea Xerxes rex gessit). Summis laudibus pugnam ad Marathona commissam variamque Atheniensium virtutem exprimit tumidoque modo suae aetatis duo nova argumenta inducit: (20) „ἐμάχοντο οὐχ οἱ ζῶντες μόνον, ἀλλὰ καὶ ὧν προσαφήρητο τὸν βίον ἡ μάχη καὶ διπλοῦς παρείστηκε τοὺς ἄνδρας πόλεμος, ὁ δὲ καὶ πρὸς αὐτὴν ὑπὲρ ἀνδραγαθίας τὴν φύσιν . . . κ. τ. λ.“. Callimachum enim extinctum non cecidisse, sed etiam post mortem firmum 20.

1) Hoc bellum primus ante bella Persarum profert Himerius.

2) Cf. oratio, quam Xerxes ante bellum habet. Herodot. 7, 8.

3) Numeros Himerius caute supprimit inani voce clamans tantum exercitum fuisse, ut ne occisorum quidem multitudo erui posset.

4) Hunc locum Himerius hausit e Xenoph. Anab. III, 2, 12 qui tradit tot capras, quot Persas trucidavissent, Athenienses se sacrificaturos vovisse Dianae; cf. Ael. var. hist. II, 25; Aristoph. equit. 657.

constitisse; Cynegirum [1]) autem manu navem hostium arripuisse, quae, cum abscissa esset a corpore, navem tamen non emisisset. Cynegiri persona quam usitata fuerit, e Luciani illusione cognoscimus, qui (*Ῥητ. διδασκ.* 18) docentem rhetorem facit: „(*λεγέσθω*) *ἐπὶ δὲ πᾶσιν ὁ Μαραθὼν καὶ ὁ Κυναίγειρος, ὧν οὐκ ἄν τι ἄνευ γένοιτο*“; sequentia Himeri argumenta, quam pervulgata ac pertrita fuerint, ex eodem Luciani libello et capite apparet; hic enim pergit (ib.) „*καὶ ἀεὶ ὁ Ἄθως πλείσθω καὶ ὁ Ἑλλήσποντος πεζευέσθω καὶ ὁ ἥλιος ὑπὸ τῶν Μηδικῶν βελῶν σκεπέσθω καὶ Ξέρξης φευγέτω (καὶ Λεωνίδας θαυμαζέσθω καὶ τὰ Ὀθρυάδου γράμματα ἀναγινωσκέσθω), καὶ ἡ Σαλαμὶς καὶ τὸ Ἀρτεμίσιον καὶ αἱ Πλαταιαὶ πολλὰ ταῦτα καὶ πυκνά, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὰ ὀλίγα ἐκεῖνα ὀνόματα ἐπικολαζέτω καὶ ἐπανθείτω*“; Himerius autem, postquam fortitudinem militum in Marathonia pugna atque auxilium a diis ipsis [2]) allatum, quo Dareus gravi clade accepta sese in Asiam recipere coactus esset, praedicavit, quantis copiis Xerxes bellum renovasset, causis priorum inimicitiarum repetitis narrat; et terram ac mare naturam commutare coacta esse Athone promunturio classi perfosso, ponte, quo exercitus transiret, Hellesponto imposito; solem iaculis obscuratum esse [3]); tanto tumultu perterritas et commotas partim civitates Persis servivisse, partim quibuscum facerent, haesitasse [4]); Athenienses solos legatis Persarum interfectis Themistoclis consilio usos mari Persis restitisse, non caede Spartanorum, (quorum fortitudinem paene praeterit) [5]) non barbarorum multitudine, non caesis fluctibus, non ventis punitis deter-

De Luciani irrisione.

1) Cf. Herodot. 6, 114 sq., qui quidem Cynegiri facinus eodem modo narrat; Callimachum polemarchum fortissime pugnantem cecidisse nos docet; eum mortuum stetisse telis transfixum habet Polemon or. II p. 17; cf. Suidas v. Kyneg.

2) Pana imprimis, Herculem, Theseum, Minervam, Cererem, aliosque enumerat (cf. Polemon. II p. 15.).

3) Cf. Herodot. 7, 21 sq., 123 sq., 226.

4) Cf. Herodot. 7, 140, 150, 157, 168; 8, 36; Diod. Sic. 11, 243; 250.

5) En iterum iterumque orationem funebrem intra Atheniensium res ac laudes coercitam! (Cf. p. 23, 41, 56 h. l.)

ritos [1]) victoriamque reportasse ab hostibus ad Artemisium et ad Salamina [2]); itaque exclamat triumphans: „ὦ δύο τροπαίοις δεκα ἔτη στόλον ἐλέγξαντες“ [3]), et deinde Pythiae oraculo commemorato „ὦ θείαν τὴν Σαλαμῖνα ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς ἀνακηρύξαντες!“ Tum sequentes pugnas ac res gestas illorum temporum enumerat (quae maiore e parte e Diodoro hausisse videtur) et extollit pacem cum rege initam; transit in bella adversus barbaros atque Graecos commissa: Athenien- 30.
ses etiam Lacedaemonios, Boetios, Corinthios devicisse; fortissimos quoque eos sese praestitisse bello Peloponnesiaco, cuius calamitates atque clades callide tangit admirans patientiam constantiamque in rebus adversis, latius autem huius belli facta se tractaturum esse caute negat his verbis (31) 31.
„οὔτε μοι διεξελθεῖν ῥᾴδιον, οὔτε εἴ τις πρότερον ἐπικεχείρηκε“. Extrema eius capitis sententia „πρὸς ἅπασαν μὲν τυραννίδα, πρὸς ἅπασαν μὲν δυναστείαν ἀντέστησαν“ Atheniensium libertatis studium atque amorem celebrat (id quod fundamentum Platonis Menexeni laudum est (cf. p. 41 h. l.), qua re concludit agmen rerum gestarum; tum magniloquentia et grandi- 32.
tate verborum paene non ferenda exornat mortuos (mortuorum laus communis est) eorumque virtutes patriamque: „καὶ οὔτε Βαβυλὼν οὔτε Νῖνος [4]) οὔτε τις ἄλλη εὐδαίμων πόλις ἢ χώρα ἢ δόξης ἢ χρόνου τοσοῦτον ἦχησεν ὅσον ἡ πόλις, ἐξ ἧς γεγόνατε“. Iam ad finem properat; apponere peroratione mihi liceat, quae est: „εἴρηται καὶ οἱ τῆς μὲν ὑπο- 33.
θέσεως ἴσως ἔλαττον, τῶν δὲ πολλῶν οὐκ ἔλαττον“ (quibus

---

1) Herodot. 7, 35.

2) Wernsdorf locum corruptum esse, quia Himerius prorsus silentio transeat illustrissimam victoriam ad Salamina reportatam iure contendit, cum rhetor diserte commemoret „δύο τρόπαια“ atque exclamet „ὦ θείαν τὴν Σαλαμῖνα“. Itaque Wernsdorf recte addit „(ἀλλ' ἀνήγοντο μὲν μετ' Ἀρτεμίσιον) ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα“.

3) Quae verba, quamquam ad Xerxis (qui quidem anno 485 Darco successit) apparatum spectant, tamen leniter significare videntur usitatam comparationem cum belli Troiani longitudine; itaque decem annos Himerius ponit (cf. p. 60 et 65 h. l.).

4) Wernsdorf pro verbo „Νεῖλος“ coniecit „Νῖνος“, quae coniectura probabilis mihi videtur, quia verba „πόλις“ et „χώρα“ sequuntur.

verbis rhetoris vanitas atque ostentatio in clarissima ponuntur luce) „λείπεται δὲ εὐφήμῳ φωνῇ προσηχήσαντας παυδημεὶ πάντας τῷ μνήματι, οὕτω τῆς τιμῆς ἀπαλλάττεσθαι“; haec ultima vox quandam formulam resonat rhetoris aetatis [1]). Componamus partes declamationis; sunt enim: prooemium continens laudem moris ac legis; laudatio Athenarum et rerum ab Atheniensibus gestarum longe maiorem orationis partem comprehendens, brevis laus victorum, epilogus. In praedicatione urbis eius originis institutionumque usitatos et usque ad fastidium decantatos locos profert et in bellis Persarum quasi bacchatur. Partes adhortationis et consolationis omnino praeterit, ut oratio sola laus Athenarum civiumque sit; hac aetate Platonis Menexenum non iam recitatum esse arbitror; nam mihi persuadere eius ordinem, si etiam tunc viguisset, rhetorem plane neglecturum fuisse nequeo. In meram ergo exercitationem nomine quoque commutato [2]) delapsa erat oratio funebris; pristinas quidem laudum sententias invenimus, sed exaggeratas atque inflatas calamistris ac tinnitu artificum; et cum in vita usuque non adhiberetur, iis partibus, quibus superstitum animos commovere solebant oratores, facile carere potuit in vanam amissae magnitudinis imaginem exspatiata, id quod similiter fecit Polemon, cuius quidem duas declamationes modo attingere ac numerare volo, et quod magis generis iudicialis quam demonstrativi sunt, et quod eas pertractavit H. Jüttner [3]). De lege, quam declamationibus rhetor praemisit, iam egi eamque fictam esse declaravi [4]). Polemon Cynegiri [5]) et Callimachi patres de honore laudationis funebris habendae certantes inducit grandibus pinguibusque argumentis ac verbis; filiorum virtutes com-

De Polemonis declamationibus.

1) Cf. p. 68 not. 2 h. l.

2) Epiphanius Syrus quoque orat. polemarchicam scripsit (cf. Suidas v. „Ἐπιφάνιος Οὐλπιανοῦ“).

3) H. Jüttner, de Polemonis rhetoris vita, operibus, arte; Breslauer philol. Abhdl. 1898, 8. Bd. 1. H.; cf. quoque Westermann l. c. p. 43; Schinnerer l. c. p. 49; W. Schmid, D. Atticismus I p. 45 sqq.

4) V. p. 24 h. l.

5) Luciani de hac laudis persona irrisionem attuli p. 72 h. l.

parant atque exornant; utriusque patris orationem Polemon, id quod demonstrat Jüttner, in quattuor partes divisit: prooemium, narrationem, comprobationem, epilogum; sed cum de habenda oratione lis sit, non habita aut ficta sit ipsa oratio, non cum ipsis epitaphiis eas perlustrare meum est collocatione quoque iudiciale genus significante; propter affinitatem epitaphiorum non mirum est argumenta maiore e parte ad Herodotum (et Himerium) redire [1]).

Ad finem epitaphiorum, qui publici generis sunt, perveni; ipsum publicum genus cum evanuisset, privata laudatio primum locum occupavit; cum nullum exemplum habeamus, ex quo Athenienses unum virum solum publice laudasse appareat — nam Hyperides quoque universorum laudi coniunxit Leosthenis praedicationem —, Graeca lingua scriptas, quae exstant, laudationes privatas eundem fere ordinem ex rei natura servantes lineamentis modo adumbrabo [2]) et Romanorum genus laudationum tangam; attingam quidem ea opera, quae *μονῳδίαι* inscripta sunt, quia his temporibus singula genera privatae in mortuos orationis haud ita severe distincta sunt.

De Dionis Chrysost. epitaphio (Or. 29)

Primum nobis insistendum est in Dionis Chrysostomi orationibus, quae inscribuntur *Μελαγκόμας* A et *Μελαγκόμας* B; non me fugit de Arnim [3]) commutasse ordinem; sed cum orat. 28 quasi adumbratio sequentis epitaphii sit, pristinam Dindorfii [4]) collocationem servabo; in priore ergo dialogo orator cum in gymnasium venisset, a sene Melancomam iuvenem mortuum esse comperit; senex Dioni narrat, quam pulcher, modestus, constans, artis suae peritus athleta fuerit; iam patrem eius victorias certaminum reportavisse; Dion

ed. d. Arnim 1-5
ed. Reiske p. 532/3
A. 6—10.
R. 533-534.

1) De fontibus cf. Jüttner l. c. p. 47 sqq.

2) Cf. Fr. Leo, Die griech.-röm. Biogr. p. 227 sqq.

3) Dionis Prusaensis, quae exstant, omnia ed. apparatu crit. instruxit J. de Arnim (Berlin 1893—96) Vol. II, in cuius ordine numeratur or. 78; at quamquam codices spectans *Μελαγκ.* B proponit *Μελαγκ.* A, tamen sensum deliberans ei non assentior; cf. W. Schmid in Pauly-Wissowa R. E. V, p. 848—77; E. Wenkelbach, Quaestiones Dioneae, Dissert. Breslau 1903, p. 38 sqq.

4) Or. 28 et 29.

A. 11—13. R. 535-536. senem consolatur: Melancomam iuvenem mortuum, ob eamque causam beatissimum esse; nam, quem di diligant, iuvenem mori exemplis ex antiquitate repetitis demonstrat; sequentem epitaphium senex significat respondens (A. 13; R. 536) „ταῦτα μὲν, (ἔφη) καλῶς εἶπας εἰς παραμυθίαν ἀνθρώπων, καὶ ἔγω γε ἐβουλόμην σοῦ ἔτι ἀκούειν". Et quaeramus, quantum in altera oratione, quae inscribitur *Μελαγκόμας* B (or. 29) hunc ordinem, i. e. laudem, beatitudinis praedicationem,

A. 1—2. R. 536-537. consolationem observaverit Dion: in prooemio se imparem esse muneri dicit; quod maxime lugentes [1]) eo fungi debeant, reprehendit; attamen se loqui velle pergit et, quam dicendi causam affert, eam commemoratione dignam censeo: „ἀλλ' ἐπειδὴ", inquit, „τιμιώτερος μὲν στρατηγοῦ ἔπαινος ἐπὶ στρατιώτῃ ἀγαθῷ τελευτήσαντι, τιμιώτερος δὲ παντὸς ἄρχοντος ἢ ἰδιώτου, κἀμοὶ λεκτέον τῆς ἀρχῆς ἕνεκεν ὡς ἂν δύνωμαι". His apparere mihi videtur morem, ut polemarchus diceret laudationem, non iam certum fuisse Dione nominante ducem, sed consuetudinem, ut honoris causa ad privati hominis sepulcrum magistratus aliquis verba faceret, florere coepisse [2]).

A. 3. R. 537. Transit ad originis laudem Dion patremque excelluisse animo et robore praedicat; tum iuvenis virtutes percurrit

A. 4—18. R. 538-544. dividens laudem secundum rhetorum praecepta in virtutes externas et virtutes animi describendas; maxime orator exornat modo vere Graeco iuvenis pulchritudinem, ut hymnum paene in pulchritudinem [3]) hanc partem dicam; tum fortitudinem, artem gladiatoriam, quam militum virtuti praeferendam esse spinosis argutisque flosculis demonstrare

---

1) Hoc in privata oratione valuisse videtur, unde Polemon legem (cf. p. 24 h. l.) istam constituerat.

2) Hic mos nostra aetate floret: principum, urbium, societatum legati in sepultura brevi laudatione et salutatione mortuo ultimum tribuunt honorem.

3) Id quod ipse sensit; „εἰ δέ τις φήσει", inquit, „κάλλους μὲ ποιεῖσθαι ἐγκώμια, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀνδρὸς, οὐκ ἂν ὀρθῶς αἰτιῷτο" (A. 8; R. 538).

conatur, studium, prudentiam, temperantiam (quas virtutes arti iuvenis inesse renovata cum militari excellentia comparatione contendit) modestiam, quibus virtutibus neque minus matura morte, quod deorum donum sit, Melancomam beatum praedicandum esse testimoniis ex antiquitate allatis A. 19—21.
declarat; haec pars consolationem simul in priore oratione R. 544-545.
significatam includit; nam addit Dion adhortationem: imi- A. 21—22.
tentur iuniores defuncti bona; aeque omnes ferant iacturam; R. 545.
„τὸν δὲ ἀποιχόμενον μνήμῃ τιμᾶτε, μὴ δάκρυσιν"; his verbis lamentationem refutat finemque orationis facit admonitione „ὑμεῖς δὲ ἐγκρατῶς φέρετε".

Partes easdem, quae publici generis erant, Dion hic conservavit: prooemium, laudationem, praedicationem fortunae et consolationem, admonitionem transeuntem in epilogum; fortasse, quia se magistratum orationem habere finxit, diligenter publici epitaphii morem atque ordinem spectat.

Aristides rhetor duos epitaphios, (or. 11 et 12) [1]) alterum De Aristidis orationibus.
in discipulum, alterum in magistrum composuit. Prior, quamquam inscriptus est „εἰς Ἐτεωνέα ἐπικήδειος" [2]), tamen ad publicarum laudationum exemplar conditus est, ut iam recte Schinnerer (l. c. p. 50) et Buresch (l. c.) animadverterunt; nam Aristides in ineunte oratione se civium, § 75 ed. Dindorf.
parentum, sui consolationis gratia locuturum esse profitetur;
tum lamentatione praemissa praedicat grandibus verbis 76—77.
tritoque ordine (originem, educationem, mores), adulescentem [3]) et renovata querela (in qua haud ita eleganter alloquitur mortui oculos, caput, manus, pedes), consolationem 78.
applicat beatum Etoneum praedicans ob maturam mortem 79—80.

---

1) Aristides e rec. G. Dindorfii I p. 126 (Lipsiae 1829); cf. W. Schmid, Attic. II p. 1 sqq. et in Pauly-Wissowa R. E. II p. 886 sqq. (N. B.); Volkmann (Rhet. d. Griechen u. Römer p. 305) orationes consolatorio generi attribuit, quam opinionem repellit Buresch l. c. p. 92; tres huius generis laudationes scripsisse Aristidem Menander refert (l. c. p. 418 ed. Spengel); una ergo amissa est. Cf. Westermann l. c. p. 43.

2) Cf. Caffiaux l. c. p. 167.

3) Arrogantiam suam rhetor ostentat iactans Etoneum s e s e elegisse u n u m magistrum.

et ob aeternam memoriam gloriamque; abundanti tumidaque
80. allocutione finit orationem ultimis his verbis „*τάδε σοι τὰ παρ' ἡμῶν, τὰ δὲ λοιπὰ μελήσει τῇ πόλει κοινῇ*“ publicum honorem, fortasse consolationis decretum, (*τὸ ψήφισμα παραμυθητικόν*)[1]) significans, quod civitates iis temporibus praebere solebant. Ex hac orationis dispositione lamenta magis magisque valere cognoscimus adhortationemque deficere
Or. 12. coepisse. Altera oratio, etiamsi inscribitur „*ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος*“, tamen ob formulam „*Ἀριστείδης τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Κοτυαέων χαίρειν*“ epistola[2]) potius funebris appellanda est Isocratis literis ad Nicoclem missis cognata; ordo partium laudationis merae est laude ipsa consolationis loco posita; exordium, ubi se magistrum et amicum celebrare, cives urbis sibi conciliare velle dicit, sequuntur laudes
80. Alexandri (qui non propter patriam, sed per quem patria
81—82. clara sit), iuvenis discendi studii et virtutum, viri et magistri
83—87. morum[3]), brevis lamentatio; tum, quem locum apud inferos
88. Alexander obtineat, describit secutus, ut mihi videtur, Hyperidem, qui, quo honore Leosthenes ab inferis acceptus sit, in epitaphio (§ 35, cf. p. 60 h. l.) ante oculos posuit. Finis
88—89. ad epistolae formam prorsus accommodatus est; nam orator vel potius scriptor captatione benevolentiae curam civitatis in Alexandri superstites adhibitam extollit causamque consolandi (§ 89: „*παρακελεύεσθαι δέ μοι ταῦτα ἀναγκαῖον*“) rursus exprimit. Hac epistolae specie efficitur, ut suum teneat locum hic libellus et potius encomiis quam epitaphiis adnumerandus esse mihi videatur, praesertim cum desint admonitio et ipsa consolatio (quae quidem inclusa est laudibus).

---

1) De hoc solatii atque honoris genere disseruit C. Buresch (Rhein. Mus. 49 (1894) „Die griech. Trostbeschlüsse“; cf. Rohde l. c. II p. 338 sqq.; Norden l. c. p. 404.

2) Id quod ex multis opusculi locis apparet; ex fine petitum locum exempli causa apponere mihi liceat: (89) „*ὅπερ γὲ καὶ ἐν ἀρχῇ τῆς ἐπιστολῆς εἶπον, ἢ ὅτι βούλεσθε καλεῖν τὸ βίβλιον*“: cf. Caffiaux l. c. p. 169 sqq.

3) Quod Alexander non artis mercedem poposcit, illius aetatis hominibus virtus et summa laus videtur.

Libanius duas funebris generis orationes composuit: unam „μονῳδίαν ἐπὶ Ἰουλιανῷ“, alteram „ἐπιτάφιον ἐπὶ Ἰουλιανῷ“[1]). Libanius, cum ipse monodiam separaverit ab epitaphio, in illa priore[2]) meram profundit lamentationem et de Iuliani matura morte queritur deploratque miseram patriam tali imperatore orbatam pessimisque hominibus relictam. In altera oratione, quae iam longitudine scriptam laudem vitae indicat, quamquam ordinem priorum epitaphiorum conservat, longe maius spatium Libanius tribuit rebus a Iuliano gestis, ut rectissime de hoc opere Caffiaux (l. c.) censeat „l'éloge de Julien est une oeuvre historique écrite par un orateur“ eodemque loco id ponit atque Taciti librum de Agricola scriptum. In prooemio orationis[3]) Libanius dolet se non vivo Iuliano laudes reddere posse, quarum exordium capit a praedicatione originis, educationis, morum adulescentuli, viri (et philosophi et imperatoris), unde transit ad caput operis, quae est laudatio rerum gestarum[4]) virtutibus Iuliani per omnem occasionem exornatis. Lamentorum, quae sequuntur, argumenta, ad monodiam redeunt; et urbes et homines omnium ordinum atque aetatum imperatoris morte afflictos esse. Consolationem Libanius incipit ipsum Iulianum loquentem faciens mea quidem sententia Platonis Menexeni exemplo usus, qui mortuos consolantes superstites induxit (Menex. 246 D — 248 E v. p. 41 h. l.); sua solatii verba addit: fato solo superatum esse Iulianum, sed potentissimum imperatorem summam gloriam atque claritatem et factis et scriptis molliendo dolori reliquisse. In epilogo Libanius imperatorem alloquitur et quasi precatur, ut benigne accipiat orationem, unum, qui ei gratus sit, honorem.

De Libanii orationibus.

Or. 17.

Or. 18.

§ 1—7 ed. Förster.

8—280.

281—295.

296—307.

308.

Hac in laudatione omnes epitaphii partes excepta adhortatione tractat orator e natura propositi praevalente rerum

1) Libanius ed. R. Förster 1904, vol. II or. 17 et 18; cf. Westermann l. c. p. 45; Caffiaux l. c. p. 175 sqq. et de monodia p. 224 sq.

2) V. Förster praef. or. 17.

3) Oratio confecta videtur fine anni 365 post monodiam; cf. Foerster, praef. ad orat. 18.

4) Eas enumerare alienum est a meo proposito.

gestarum laude; nam epitaphii forma usus vitam factaque Iuliani describere vult; nec mirum, quod admonitionem neglexit: in Caesarem et singularem suae aetatis imperatorem laudem scripsit, quem adaequare neque quemquam studere ausum esse neque potuisse Libanium existimavisse puto.

De Themistii laudatione patris.

Ab huius viri eximii imagine descendam in epitaphium, quem composuit Themistius [1]) „εἰς τὸν αὐτοῦ πατέρα“; quae oratio decedit a solito generis privati more: Themistius ipsi
233 c laudationi praemisit partem, cui superscripsit „*Θεωρία*“ et ubi consilium orationis exposuit: sanctum se officium praestare praedicatione et ita, ut philosophum deceat se locuturum
233 d esse. Tum nulla transgressione facta incipit epitaphium
234 a initioque respuit lamentationes philosopho indignas. Iam
234 b—d beatissimum praedicat patrem, qui in caelum evolasset, imaginem e Platonis Phaedro (p. 246) repetens: voluptatis equum cum domuisset pater, a diis eum receptum et salutatum esse, iuxta Socratem ac Platonem assedisse (ab inferis receptum Hyperides dicit Leosthenem esse (ep. 35; cf. p. 60 h. l.) a superis Eugenium Themistius, maxime Aristotelem gavisum
235 a esse, quod vates suus advenisset. Tum laudibus effert philo-
235 b—236 b sophum rhetor, quia omnium philosophorum doctrinas rationesque perspexisset, deinde hominem literarum artiumque amantissimum; neque omittit patrem praedicare „*γεωργίας*
237 a—b *ἐπαινέτην τε καὶ ἐραστήν*“; oratorem quoque fuisse non vanum,
238 a—239 c sed secundum praecepta, quae enuntiasset, eum vixisse imita-
239 d-240 a/b tum Socratem; itaque dignum esse templis sacrisque, qui vitia impugnaverit, cum Hercules, qui terram a tyrannis modo ac beluis liberasset, iis praemiis affectus sit. Iterum beatissimum alloquitur patrem Orphicae religionis sententiis adhibitis [2]), concluditque orationem adhortatione ad se ipsum conversa, ut dignus tali patre et philosophia exsistat memoria patris adiuvante.

1) Themistii orat. ed. G. Dindorf (Lipsiae 1830) or. 20; cf. Caffiaux l. c. p. 177 sqq.

2) 240 c: beatum ad beatos venisse dicit superstites relinquentem „*ἐν τῷ κλύδωνι καὶ τῷ λειμῶνι τῆς Ἄτης*“ κ.τ.λ.

Hic igitur epitaphius omittit consolationis et lamentationis partes, abundat praedicatione beatitudinis philosophique patris laudibus, quia Themistius philosophus quam orator videri mavult[1]); ad sese eum monitionem vertere, cum de patre loquatur, haud alienum est ab ipsius consilio; nam plane privati generis est laudatio itemque ut Himerii planctus in Rufinum filium, quod opusculum est inscriptum „*Μονῳδία εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ῥουφῖνον*“[2]); iam e brevi dispositionis adumbratione apparebit lamentationis generis orationem esse, non laudationis neque ad sepulcrum habitam sed postea exornatam. Incipit a planctu (quia procul a domo exstinctus filius sit); tum filii bona corporis animique laudat insolentibus cum claris antiquitatis viris appositis comparationibus interiectaque singulis locis lamentatione (diligenter ergo observat Himerius Menandri praeceptum, ut in omni capite miseretur orator; v. p. 10 h. l.); merus patris „*θρῆνος*“ ad finem transit in consolationem quandam: ad superos filium ascendisse suaque oratione immortalem factum esse affirmat Himerius eumque se certaminibus funebribus[3]) celebraturum esse.

De Himerii monodia.

1—3.

4—14.

16—22.

Orationem ergo cognovimus compositam esse lamentatione ac laude, luctumque patris cum demonstret, admonitionem deesse brevemque consolationem adesse non est, cur miremur. Agmen orationum a paganis Graecis compositarum hic planctus claudit; pauca de laudationibus a Christianis scriptoribus compositis afferam, cum suos hae postulent libellos iamque habeant (cf. annot. ad p. 82 h. l.). Hanc magnam statim exordiens pono differentiam: omnes adhuc prolatas orationes Athenienses ceterique Graeci virorum honorandorum celebrandorumque causa colebant et

De Christianis epitaphiis.

1) Rectissimam Westermann (l. c. p. 46) sententiam tulit „opusculum sophistico tumore atque inani verborum strepitu plenissimum“.

2) Him. ed. Wernsdorf or. 23; cf. Norden l. c. II p. 459.

3) Hac aetate an non floruerint certamina, quae aliae privatae orationes silentio praetermittunt, dubito; fortasse locutio modo rhetorica est.

componebant; Christiani Graeci feminas quoque hac praedicatione ornabant ut Romani (id quod videbimus).

Greg. Nyss. Gregorius Nyssenus, cum ipse rhetor fuisset, in laudationibus funebribus [1]), quae sunt „Ἐπιτάφιος εἰς τὸν μέγαν Μελέτιον“ (M. 46 p. 851) „τοῦ αὐτοῦ εἰς Πουλχερίαν λόγος“ (M. 863) τοῦ αὐτοῦ ἐπιτ. λ. εἰς Πλάκιλλαν βασίλισσαν (M. 877), rhetorum ordinem servasse diligentissime iam demonstravit Greg. Naz. atque exposuit J. Bauer [2]). Itemque de Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus egit X. Hürth explicans atque interpretans laudationes [3]), quas Gregorius habuit in Caesarium fratrem, (Migne P. G. vol. 35, 755 sqq.) in Gorgoniam sororem (ib. 790 sq.), in Gregorium patrem (ib. p. 981), in Basilium vol. 36 p. 493 sqq.). Aliae orationes, ut laus Cypriani, Athanasii, totae in genere laudationis versantur.

Choricius. Choricius Gazaeus ultimus enumerandus est; duos eius epitaphios traditos [4]) legimus: „Ἐπιτάφιος ἐπὶ Προκοπίῳ σοφίστῃ Γάζης“ et „Ἐπιτάφιος ἐπὶ Μαρίᾳ μητρὶ Μαρκιανοῦ Γάζης ἐπισκόπου καὶ Ἀναστασίου Ἐλευθερουπόλεως ἐπισκόπου“. Quae posterior oratio ante Procopii laudem scripta e sententia Kirsteni (l. c.) videtur. Antiqua praecepta in Procopii magistri laude [5]), quae antiquorum exemplis sententiisque [6]) abundat,

---

1) Greg. Nyss. ed. Migne vol. III (Patrol. Graec. 46); omitto, quae in sola laudatione continentur, orationes.

2) J. Bauer, Die Trostreden d. Gregorios v. Nyssa in ihrem Verhältnis zur antiken Rhetorik (Dissert. Marburg 1892).

3) X. Hürth, de Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus; diss. Argentor. 1907 (Dissert. Phil. Argent. Sel. vol. XII, fasc. I); Gregorium imitatum esse Isocratem declarat M. Conrotte (Isocrate et S. Grégoire de Nazianze, le Panegyrique d'Euagoras et l'éloge funèbre de S. Basile, Musée Belge 1897).

4) Choricius ed. I. F. Boissonade (Paris 1846); de Choricio vita scriptisque cf. W. Schmid (Pauly-Wissowa R. E. V p. 2423 [N. B.]); Buresch l. c. p. 94; C. Kirsten, Quaestiones Choricianae (Breslauer Philol. Abhdlg. 7, 2).

5) Cf. Caffiaux (l. c. 189), qui epitaphium perlustrat; idemque franco gallice reddit Mariae laudationem (p. 279 sq.).

6) Cf. J. Malchim, De Choricii veterum Graecorum scriptorum studiis (diss. Kiel 1884).

observat: Procopium adulescentem, virum, magistrum praedicat neque omittit brevem planctum, severam consolationem et admonitionem. In Mariae epitaphio grandes ex antiquitate tractae comparationes non longe absunt a ridiculo, praesertim cum oratio ad familiam directa videatur matremque maxime laudibus celebret.

Privatae laudationes coli non desinebant, nec medio aevo [1]), nec nostro tempore. At hic nobis insistendum; vertere paulum animum ad Romanorum laudationes mihi liceat, priusquam finem imponam opusculo complectens summam publicorum epitaphiorum.

De Romanorum laudationum genere.

Laudationes funebres Romanorum [2]) longe distant a Graeco hoc dicendi genere: in singulos dictae sunt nec solum in viros sed etiam in feminas [3]) munusque orandi propinquorum fuit [4]). Diversitatem consilii optime pressit Cicero

1) Alias sophistarum laudationes, ut hoc addam, non traditas, sed commemoratas enumerat Westermann l. c. p. 47 sq.; medii aevi opera affert Draeseke (Wochenschrift f. kl. Phil. 1892 p. 1176 sq.) Francogalli studii generis demonstrativi dicendi cupidissimi has laudationes excolere atque expolire solebant, ut Fléchier, Bossuet aliique 17. saec. oratores ecclesiae, quos Isocratis exemplar imitatos esse Norden l. c. II p. 797 denotat. — Westermann (l. c. 48) Neograecos conservasse morem docet exemplo animadversione digno allato: a. 1829 Aeginae libellum emissum esse hoc titulo: „*Σπυρίδωνος Τρικούπη λόγοι ἐπικήδειοι καὶ ἐπινίκειοι ἐκφωνηθέντες εἰς ἐπήκοον τοῦ λαοῦ ἐπὶ τῆς Ἑλληνικῆς ἐπαναστάσεως*“! In quo inest or. I epitaphius in Lord Byron habitus a. 1824 Missolunghii, et or. V epitaphius in Georgium Karaiskakis a. 1827 in eius funere Pari ex tempore dictus.

2) Vollmer, Laudationum funebrium Romanorum historia (Fleck. Jahrb. nov. ser. XVIII [1892] p. 445 sqq.); cf. Buresch l. c. (consol. hist. crit.) p. 120—22; Norden l. c. p. 296 sqq. Laudationes, quae exstant, tractaverunt Th. Mommsen „Zwei Sepulcralreden a. d. Zeit d. Augustus u. d. Hadrian“ (Abhdl. d. Berl. Akad. 1863 p. 455 sqq.); Rudorff „Ueber die Laudation v. Murdia“ (Abhdl. d. Berl. Akad. 1868 p. 217 sqq.).

3) Lex orationis in feminas habendae Camilli temporibus data fertur, id quod testantur Livius 5, 50, 7, Plut. Camill. 8; de mul. virt. 1; Diod. 14, 116. Primae re vera in Popiliam dictae laudationis mentionem fecit Cicero (de or. II, 44).

4) De ipsa institutione publica cf. Dionys. Halic. Antiqu. Rom. 5, 17; Polybius 6, 53, 2.

(de orat. II, c. 84, § 341): „Ipsi enim Graeci", inquit, „magis legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitaverunt; nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam aut scribuntur ad funebrem contionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est". Neque aliter Quintilianus (instit. orat. III, 7, de laude et vituperatione) sic censet „sed mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit; nam (et) funebres laudationes pendent frequenter ex aliquo publico officio atque ex senatus consulto magistratibus saepe mandantur ..." [1]). Omitto laudationes a scriptoribus allatas [2]) significatura orationes vel potius inscriptiones, quae quamvis non integrae nobis servatae sunt.

Oratio funebris in Turiam [3]) Augusti temporibus a marito Q. Lucretio Vespillone ad defunctam directa (qua de causa, ut Mommsen indicat, nil nisi inscriptio est, non oratio inscriptione posteris tradita) vitam virtutesque Turiae narrat multo spatio concesso expositioni litis, quam de hereditate patria relicti oraverint, id quod vere Romanum est. Alteram laudationem in Murdiam [4]), quam filius eius dixit, composita videtur primo saeculo p. Chr. n.; reliquiae continent testamentum mortuae virtutumque feminearum praedicationem. Haec et prior oratio potius iuris Romani fontes sunt, quam exempla demonstrativi generis dicendi.

Imperatoris Hadriani in Matidiam socrum laudatio [5]) vere habita esse videtur; imperator Matidiam filiam, uxorem, matrem celebrat. Ut laudes Turiae Murdiaeque, ita haec praedicatio simplicitatem ac veritatem spirat caretque Grae-

---

1) Quintilianus laudum praecepta Graecorum doctrinae similia addit.

2) Nam in libris, quos annotavi, (p. 83 h. l.) eae pertractantur. P. Papinio Statio poetae, qui Aletem grandiorem aevo ante rogos orationem vel lamentationem (Theb. III, v. 179—213) in interfectos iuvenes habentem induxit, Graecum epitaphii morem ob oculos versatum esse arbitror.

3) Cf. Mommsen l. c. p. 464.

4) Cf. Rudorff l. c. p. 217.

5) Cf. Mommsen l. c. p. 483 sqq.

cania illa abundantia atque elegantia. Recte ergo Rudorff (l. c.) Romanorum laudationes iuris sacri officia esse censet.

Ad propositi finem perveni, summa opusculi est haec: ex lamentationibus sollemnibus, ex ultima salutatione, ex laudibus epularum, ex poetarum carminibus [1]) Atheniensium oratio funebris procreata paulatim adolevit; privata oratione vetita belli temporibus ad publicum militum occisorum honorem laudatio elata legeque sancta [2]) ad summam formae perfectionem atque absolutionem ascendit Periclis aetate [3]); cum repetitione usuque [4]) trita obsolevisset, Isocrates novum privatae orationis genus auspicatus est [5]); cui quidem singulorum laudationi Athenienses publici honoris locum non concesserunt. Postquam publicus epitaphius in vanam declamationem nomine quoque mutato delapsus est [6]), privata laudatio forma pro re commutata vigere ac florere perseveravit.

---

1) De lamentatione v. p. 12—14 h. l.; de salutatione p. 14; de cena funebri p. 14; de poetarum carminibus v. p. 16—18.

2) p. 21 h. l.

3) p. 25 sqq. h. l.

4) p. 36 sqq. h. l.

5) p. 52 sq. h. l.

6) p. 69 sqq. h. l.

VITA.

Nata sum Elsa Maria Gossmann a. d. IV. Kal. Iun. a. 1879 Oberndorfi, in oppido ad Nicrum sito, patre Iacobo, medicinae doctore, matre Iosephina e gente Laur; fidei addicta sum catholicae. Literarum elementis in Monasteriali schola per duos annos imbuta sum Lohri in urbe ad Moenum sita. Deinde per sex annos Baruthiae, ubi pater munere fungitur, scholas frequentavi. Tum picturae me dedidi, quam ob causam Monachi per tria semestria in regia artis schola inscripta eram. Postea ad literarum studium me contuli. Per quattuor annos Baruthiae privatim summa cura diligentiaque me instituerunt Ioa. Fr. Lederer et L. Hartmann, quibus optimis magistris debeo, quod maturitatis testimonium in Theresiano gymnasio Monacensi a. 1904 adepta sum. Deinde studiis philologiae et historiae per septem semestria occubui. Ienae me docuerunt viri doctissimi B. Delbrueck, Diehl, Dinger, Eucken, Gelzer, Goetz, Graef, Hirzel, Judeich, Keutgen, Liebenam, Liebmann, Lietzmann; ad proseminarii et seminarii philologici exercitationes per tria semestria Gelzer, Goetz, Hirzel me benigne admiserunt, ad historiae seminarium per unum semestre Gelzer. Heidelbergi audivi docentes vv. dd. Braune, Dieterich, de Domazewski, Marcks, Schoell, Uhlig, Windelband; ibidem seminario historiae moderatore de Domazewski duo semestria interfui unumque semestre exercitationibus philologicis, quas habebant Brandt et Uhlig. Quibus omnibus viris magnam debeo atque ago gratiam praecipueque Rudolfo Hirzel, qui ad hunc libellum me incitavit nec destitit consiliis me benevolentissime adiuvare.

Pamph
LGr.H
G

Gossmann, Elsa
Quaestiones ad Graecorum orationum
funebrium Formam Pertinentes.

DATE

NAME OF BORROWER

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED